

COMMENTATIO IN AVGVRALIS SAECVLARIS  
HISTORICA

*D E*  
**LVTHERO**  
**BIBLICI STVDII**  
**INSTAVRATORE,**

*C V I V S*  
DISSERTATIONEM PRIMAM  
*D E*

**FATIS STVDII BIBLICI**  
**ANTE LVTHERVM,**

ANNO SAECVLARI SECVNDO  
AVGVSTANAEC CONFESSIONIS,  
INDVLTV LAVDATISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE,

*P R A E S I D E*  
VIRO EXCELLENTISSIMO, CELEBERRIMO

**IOHANNE IOACHIMO LANGIO**

PROFESSORE MATHEMATVM PUELICO ORDINARIO,  
COLLEGII PHILOSOPHICI H. T. DECANO,

PATRONO ET PROMOTORE AEVV M SVSPICIENDO,  
PRO SVM MIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS

*hor. pone. 3. d. 26 IVN. CCCCXXX.*

PLACIDO LECTORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR DEFENSVRVS

**IOH. HERM. IANI,**  
FRISIVS, PAEDAGOGII REGII HALENSIS COLLEGA;

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

12.

COMMENTATIO IN MURALS SACRAE ARI

HISTORICA

ATHERO

PATRIDI STADII

ET CATHARORE

HABITATUO HIC

IN TERRAM

CONVENTUS

ANNO

1500

ET CATHARORE

ANNO

1500

ET CATHARORE

VIR O  
PERILLVSTRI ET EXCELLENTIS-  
SIMO, DOMINO,  
D O M I N O  
ENNOMI RVDOLPHO  
BRENNEISEN,  
SERENISSIMO ORIENTALIS FRISIAE  
PRINCIPI A CONSILIIS SANCTIO-  
RIBVS, ET CANCELLARIO, CETERA.

PATRONO ATQVE FAVTORI  
SVO PARITER ET LITTERARVM INSIGNISSIMO,  
*COMMENTATIONIS HISTORICAE*  
DE  
LVTHERO STVDII BIBLICI INSTAVRATORE  
*DISSERTATIONEM PRIMAM IN AVGVRALEM*  
DE  
FATIS STVDII BIBLICI ANTE LVTHERVM  
*ANIMI DEVOTISSIMI DOCUMENTVM*  
D. D. D.  
AVCTOR.

VIR PERILLVSTRIS,  
EXCELLENTISSIME,

**T**VO, VIR PERILLVSTRIS,  
nominis has offerri & dedicari pagel-  
las, nemo sane mirabitur, qui Te  
Mæcenatem studiosæ iuuentutis  
Frisiæ, & præcipuum litterarum patronum  
esse cognouerit. Non est, quod verbosa ser-  
mocinatione Tuas, laudatiissimi Viri, laudes  
exponam, cum in demirandis Tuis, MAE-  
CENAS MAGNE, dotibus plus noceat  
macilenta & inops oratio, quam deuotum  
bonarum mentium silentium. Non est,  
quod pro singulari Tua modestia munificen-  
tiæ, quæ mihi dedisti, specimina publice lau-  
dem, sed tamen laudo, cum lauta tacere  
velle congiaria, iniquum sit & indecens.  
Ipse iam experior, quam dulce sit sub patro-  
cinio Principum Virorum studiis inseruire,  
quam decorum, bonis omnibus placuisse.  
**N**osti ipse, VIR CONSVMMATISSIME,  
quod ea, quæ largissime dedisti, quæque de-  
creui-

creuisti, beneficia maiora postulent officia,  
maiores, quam quæ epistola dedicatoria  
absoluuntur, gratias; sed idem nosti, hanc  
esse vnicam & honestissimam rationem,  
qua in re litteraria publica res nostras pri-  
uatas Patronis solemus commendare. Su-  
me igitur, VIR PERILLVSTRIS, quod in-  
tegerrima mente profiscitur, munuscu-  
lum, &, cum de fatis Biblici studii quædam  
consignauerim, Tu Biblici studii firmissimus  
Defensor & Patronus hoc schediasma Tuo  
nomine tuere. Cæterum, quod intensis-  
sime precor, viue SERENISSIMO PRIN-  
CIPI, viue Patriæ, viue Tuis, viue Tibi,  
viue mihi omnibusque bonis: tandem ve-  
ro, quod potissimum est, vt viuis, viue  
Deo. Vale, VIR PERILLVSTRIS, MAE-  
CENAS EXCELLENTISSIME, & faue

## NOMINIS TVI PERILLVSTRIS

Dabam in Pæd. Reg.

Idibus Iunii

clcccxxx.

observantissimo clienti

IOH. HERM. IANI.

Q. D. B. V.

## PROOEMIVM.

## §. I.

**S**TUDIORUM qualescumque primitias, L. B. in medium protrusurus, nolui proprio conatu tantam obire prouinciam, ne labor suscipiendus pro præpostero opere posset haberri, sed potius, nihil me sine aliorum consilio fuisse ausum, cuius facile adpareret. Præceptoribus itaque aliquot Fride- ricianæ nostræ, cum rationem instituti mei indicarem, eosque rogarem, vt candide profiterentur, num consultius sit dissertatiunculam conscribere, an vero omnino tacere: facillimum sane & opportunum scribendi tempus suppeditari adfirmabant, cum hoc anno sæcula- ri Augustanæ confessionis non respublica tantum sacra, sed orbis etiam litteratorum de suis vicibus merito ex- sultet, & quod ministri ecclesiæ sacris concionibus & fe- riis promulgant, idem Philosophi follennitate differ- tationum & commentando confiant.

## §. II.

Quo opportuniiora itaque occurruunt tempora, eo alacrius ad conscribendam dissertationem me accingo, præcipue, cum non leue quid & superuacaneum ad- grediar, sed candori in Candidissimum Magni Viri no- men, quod sancte & sincere repetitur, satisfaciā, immo vero taciturus aliquam ingratae obliuionis notam mereri videar. Exigit enim a singulis hominibus ipsa natura, & genuina pietas, vt, quorum patrocinio & factis

factis multa debent, multa iisdem tribuant, eos deuota mente suscipient, eorum memoriam, vel remotissimam, quod par est, sponte sua recordentur. Hac enim ratione post funera viuit virtus, & splendidissima excellentium Virorum dona ab iniusto interitu strenue vindicantur. Hinc Iureconsulti deuenerantur Vlpiatum, Papinianum, & illustriores Romani Iuris doctores; hinc Medicorum cohors Hippocratis, Celsi, Galeni iura digne tuerit: hinc Philosophi Platonis, Aristotelis, Socratis facta propagant, Grotios, Puffendorfios, Cartesios & sexcentos suæ artis doctores & instauratores demirantur. Idem merito facit ordo Historicorum, qui præter scriptores sacri codicis veneranda Patrum antiquiorum & recentiorum nomina non sine summa omnium lætitia prædicat. Quotiescumque modernam Theologiæ & religionis faciem meditamus, toties Maiorum nostrorum labores, quos in instaurando tanto opere collocarunt, pia mente consideramus. Præcipue vero antiquioris æui & antecessorum temporum recordamur, si qua notabilis in rebus publicis mutatio subnascitur, & ad obeundas partes nostras ipsa rerum & temporum series nos quasi pellicit.

### §. III.

LVTHERO, candidioris doctrinæ, & sincerae Religionis Restauratori eadem deberi officia, quis neget, qui miseras & defœdata ante hunc recentioris æui Theologum tempora accuratius introspexerit. Duo nunc elapsa sunt sæcula, ex quo ductu & ope MARTINI LVTHERI orbis Euangelicus eo usque increuit,  
vt

vt contra Pontificiorum insultus in augustissimo C A R O L I V, Electorum, & Principum Consessu doctrinam suam & veritatem cognitam aperte confiteretur, sacrorumque suorum instaurationem feliciter & publice auspicaretur. Quæ veritatis Euangelicæ strenua defensio, cum iam aliquot inde sœculis sepulta, & desiderata fuisset, merito magni a bonis omnibus habebatur, & digna erat, vt tempore sœculari reuoluto, de novo sincera & iubila mente repeteretur, præcipue vero B. LV THERO doctorum Euangelicorum Nestori antesignano sua exsoluerentur præmia. Atlantei enim, & immensi ii labores, quos Dei & religionis caussa solus fere suscepit, ita sunt comparati, vt celebrari verbis nunquam satis possint. Pontificem Romanum in Dei republica crudelissime imperantem, superstitiones in cultu, errores in doctrina, licentiam & coruptiones in moribus commendantem fortiter & masculine adoriri ; Romanam sedem, quam tunc temporis ab omni errandi fallendique crimine eximendam omnes arbitrabantur, reprehendere, & rigide culpare, quantum animum requirit, quantas vires, quantum supremi Numinis præsidium ! Inde, Heiddegg. in hist. Papat. §. 153 adfirmat, quod Tezelius sordida nundinatione effecerit, vt, duce magnanimo & *κεχι-  
ροτυνμένῳ* πάτρᾳ τὸν Θεὸν Martino Luthero Capitolini Louis iugulum strenue inuaderetur, Pontifici coronæ, Monachis ventres auferrentur. add. sqq.

## §. IV.

In hac vero laborum LV THERI varietate & mole maxime hoc laudamus, quod studium Biblicum & fa-

sacrum Codicem, qui dudum ex Academiis & concionibus publicis relegatus fuerat, non sine singulari Dei prouidentia a morte quasi reuocauerit, & suum verbo diuino decus reconciliauerit. Quo præstantiora enim sunt oracula diuina, quæ continent fontem excellentioris veritatis, materiam Iuris diuini, elementa prudentiæ Christianæ, normam fidei, vitæ, controversiarum, conscientiæ, & succum Theologiæ; eo maioris aestimandi sunt, qui in illustrandis sacri codicis difficultatibus collocantur, labores. Agamus itaque summo orbis Christiani directori gratias, quod fidissimo LVTHERI ministerio sanctissimas has sui iuris paginas restituerit, adeoque tempora nostra, quæ sine veritate cœlesti cæca sunt & corrupta, ab erroribus pestilentissimis ad cognitionem futuræ salutis saluberrimam traduxerit. Ego quidem, cum Fridericana nostra vndiquaque iubilis Lutheranis resonet, satisfaciam religioni, meæque mentis desiderio, & cum nulla præpostera ambitio, siue gloriolæ cupido, sed Præceptorum & Patronorum consensus, præterea bonus in Lutherum Lutherique caussam animus me ad eum laborem compulerit, de LVTHERO STVDII BIBLICI INSTAVRATORE pauca commen-tabor. Neque vero L. B. vberrimam copiosissimæ huius materiæ explanationem a me expectabis, sed, si, quæ alii sparsim hac de re consignarunt, in iustum redegero ordinem, eademque summatim proposuero, facillime acquiesces. Prima, quam hic tibi trado, Pars tradit de fatis Studii Biblici ante Lutherum. II ) aget de Studiis & laboribus B. Lutheri ad exercitium Studii Biblio-

ci pertinentibus. III.) denique de scriptis Lutheri Biblicis & vñ, qui ex Lutheri Studio Biblico in Eccl. redundauit. Secundam & tertiam huius Commentationis partem proxime a me, si otium & vitam Deus concesserit, exspectabis. Vale, & conatui huic leuiuscculo, quod candor Tuus pollicetur, faue. Scribebam in Pæd. Regio Idibus Jun. clc lcc xxx.

## PARS I

## DE FATIS STVDII BIBLICI ANTE LVTHERVM.

## CAP. I

DE RVINA GENERALI ECCLESIAE, ET  
SPECIALI STVDII BIBLICI.

## THESES I.

**D**E laboribus B. LVTHERI, quos in instaurando Studio Biblico suscepit, si digne & candide iudicare velimus, optime sane versabimur (§. 1.) si ad antiquiora eiusdem Studii Biblici fata recurramus, atque, quo tempore & sub qua rei sacræ facie LVTHERVVS tantum opus fuerit conatus, accurate indagemus. Adparebit primo quidem intuitu (§. 2.) incremente dominio papatus, (§. 3.) incremente autoritate Patrum (§. 4.) & Philosophia Aristotelico Scholasticæ, multum decreuisse legitimum sacri codicis pretium, adeoque præter (§. 5.) ignorantiam candidæ &

& Christianæ religionis, (§ 6.) irritas superstitiones, paullatim, & summas in vita & moribus Christianis (§. 7.) corruptelas irrepssisse.

## §. I.

Nullo modo poterit aliquis de laboribus B. LVTHERI Biblicis bene sentire, nisi saecula reipublicæ Christianæ remotiora sedulo mente sua reuoluat, & debilitatam sub iugo Romanorum Pontificum ecclesiam ob oculos ponat. Ita enim fiet, vt sobriam nostrorum & illorum temporum instituat comparationem, & excellentissimum illud Reformationis opus sincera mente deueneretur. Quod si vero in diem & saecula viuamus, neque tamen præstantiam & magnum illud restauratæ Religionis, restaurati Studii Biblici opus animaduertamus, ad sortem populi accedemus Israelitici, qui temporum auitorum & horroris Aegyptii obliti, ingratia mente patrocinium diuini Numinis negligebant, adeoque afflictionibus & cladibus aliquot ad saniorem mentem erant redigendi. En! iudicium Ven. Theologi & Præpositi Berolinensis LAMPERTI GEDIKENII, in libello, qui inscribitur: Kurzer historischer Unterricht vom ganzen Reformation-Werke, pagina secunda, vbi ita habet: Fehlet es uns an der Erkenntniß der vorigen Zeiten, so wird man weder das Elend und Verderben, worin man vorher gesleckt, noch die göttliche Wohlthat der Reformation erkennen. Et paullo inferius: Solchen gehet es wie den Israeliten, die sich auch nicht einbilden konten, daß ihre Väter unter so schwerer Dienstbarkeit in Aegypten gewesen, und deshalb göttlicher Wohlthat bald vergassen.

## §. II.

Hanc Romanorum Pontificum tyrannidem optime exposuerunt, qui a Ven. Præceptore IO. IAC. RAMBACHIO,

B 2

ia

in lectionibus Anti-Pontificis enarrati sunt, doctores, nimirum 1. HEIDECKERVS in historia Papatus VII periodis comprehensa. 2. PHIL. MORNAEVS in mysterio iniquitatis s. historia Papatus, quibus gradibus nifus sit. 3. THEOD. GIBELLINVS s. MATTHAEVS GOEBELIVS in Cæsareo Papismo Romano. 4. III. PVFFENDORFIVS in der geistl. Monarchie des Staats zu Rom. 5. SAL. ERNEST. CYPRIANVS in der überzeugenden Bewährung, 6. Theologus Wratislaviensium celeberrimus CASPAR NEVMANN in trutina religionis. Quos omnes si paullo curatius perlegamus, quam Romani Pontifices religiosis animis, & ipsi religioni insultauerint, quamque crudeliter in re publica sacra fuerint versati, animaduertemus. En! verba Abbatis monasterii Neuhausen in Vangionibus: Wenn Luther nicht kommen wäre, sie hätten die Leute überreden wollen, daß sie Heu gegessen hätten. SCVLT. Annal. Dec. I. p. 15. Qua ratione vero Romani Pontifices incrementa biblici studii impediuerint, vltierius deinde a nobis explanabitur. vid. GIBERT. VOETIUM Select. Disp. Theol. P.I. diss. de Theol. Scholaſt. & FRID. SPANHEM. H. E. Sæc. XII. pag. 1578.

## §. III.

Patribus ecclesiæ antiquioribus suam constare autoritatem, tantam non tamen, quæ scripturæ sacræ obuersetur, est in aprico, quod optime exposuit MART. CHEMNITIVS in orat. de lectione patrum; & IOAN. DALLÆVS de vſu patrum, cui adiungimus IO. HEINR. HOTTINGERVVM de abusu patrum. Sed elapsis aliquot noui testamenti saeculis, & theologia patristica cum Scholaſtica coniuncta, hoc inde natum fuit incommodum, quod teste B. BVDEO in Isag. Theol. p. 565 patribus plus, quam decebat, tribuendo, Script. S. negle-

glexerint doctores, saltem ei traditionem & autoritatem Patrum aequiparant. Hinc factum, ut, qui tum temporis theologi audiebant, Script. S. neque curarent, nec intelligerent, adeoque horrendum Theologiae monstrum cum tempore enasceretur. vid. ANDR. RIVETVM in tract. de autoritate Patrum, critico eius sacro præmisso Cap. III toto. Impedimenta vero Studii Biblici, quæ ex nimia patrum autoritate oriuntur, cum animaduerterent maiores nostri, recte statuerunt, dogmata patrum ad Script. S. ceu vnicam veritatis regulam exigi debere, quæ Euangelicorum Sententia in libris nostris symbolicis & quidem epit. form. concordiae p. 570 luculentissime exprimitur.

## §. IV.

Tricas Philosophiae & Theologiae Scholasticæ multum nocuisse autoritati S. Scripturæ & ipsi religioni, lucidissime exposuit IAC. THOMASIVS in diff. de Theol. Scholast. quæ exstat in CHRIST. THOMASII hist. Sapient. & Stultit. Tom. III. p. 231 sqq. Item add. TRIBECHOVIVS de Schol. Doctoribus. HEIDEGG. hist. pap. §. XCV indicat, quod, cum Pontificii animaduerterint, verbi diuini Maiestatem suis obstare moliminiibus, eidem Theologiam Scholasticam opposuerint. Ex quo enim Scholastici, & in his præcipue ABAELARDVS, LOMBARDVS, ALBERTVS M. Philosophiam peripateticam ab Arabibus mutilam & mancam acceperunt, Aristotelem comparare Paulo non quemquam puduit, vnde factum est, ut vix umbra genuinæ Theologiae in Scholis supereset. Vid. de hac Aristotelis Apotheosi GIBERT. VOETIVM Select. Disp. Theol. Schol. MARCVM NIZOLIVM in antibarbaro philosophico, præcipue vero IO. LAVNOIVM Theologum illum Pariensem, qui de varia Ari-

stotelis in Scholis fortuna §. VII Schediasmatis I. p. 14. ita habet: *Sic caput ubique efferebat Aristoteles. Hunc non in Scholis modo, sed & locis sacris, quibus animi religionis Christianæ præceptis imbuendi sunt, interpretabantur. Neque maior quondam apud Pythagoræos Samii, quam apud hos Peripateticastros Stagiritæ erat autoritas.* Ultra hunc nemo debebat sapere, contra hunc nemo audebat hiscere. Quia in rei conditione facile a nobis colligi potest, quis fuerit S. Codicis honos, quis religionis Christianæ status.

## §. V.

In hac reificie non potuit non summa religionis Christianæ ignorantia animos offuscare, cum sacer codex a cathedris & suggestu remoueretur, & nil quisquam præter Sophismata & argumentationes Aristotelicas vociferaretur. Accedebat, quod non tantum Laici, sed ipsi Theologi capita religionis nescirent, adeoque ab omni parte miserrima Doctrinæ Christianæ ruina impenderet. Hinc recte iudicat B. VIT. LVD. SECKENDORFIVS in perfectissimo de causa Lutheri commentario Lib. I. §. XCH. n. 3. *Quis in culpa fuit, quod in communi ignorantia Laici versarentur, quam illi ipsi, qui populum erudire debebant de religione, quam omnes & singuli eatenus nosse oportet, ut in capitibus ad salutem necessariis, vocem summi pastoris Christi ab impostorum fistula distinguere valeant?* Neque enim mirum videri debet cuiquam, celeberrimos tum temporis Theologos fundamenta doctrinæ diuinæ ignorasse, quod lucidissime adparet exemplo Cardinalis CAIETANI, qui cum LVTHERVVM anno 1518 in colloquiam euocaret, & nomine Pontificis denunciaret, necesse esse, ut errores reuocaret, Scholasticis gerris refertiissimum animum aperuit, & se Scripturæ S. valde imperi-

peritum ostendit. Licit enim promisisset, se in disputando & colloquio non opinionibus Doctorum, sed scripturis sanctis esse acturum, (LVTH. Tom. I. fol. 208. b.) prouocantem tamen ad scripturam LVTHERVVM vel reiecit, vel meras & fabulosas Doctorum opiniones congesit. Hinc LVTHERV sad Spalatinum scribens d. 19. Nov. Lib. I. ep. 71 audisse se, profiteretur ex ore CAI ETANI propositiones atheologissimas, quas, si alius dixisset, haereticissimas pronunciasset, & hunc tamen inter Dominicanos principem principissimum esse cet. Eandem CAI ETANI ignorantiam comprobat PALLAVICINVS Lib. I. Cap. X. n. 7. LVTHERV ipse in libro de *Missa angulari*, quem circa finem anni 1533 composuit, adfirmat, haec tempora ignorantiae fuisse difficillima, sicut Eliæ, multaque opus fuisse potentia & patientia Dei, ut fidem in suis seruaret, & errores piorum quoque toleraret, quos aliquando non nisi morientes agnouerint, vt BERNARDVS, GREGORIVS, BONAVENTURA, eamque difficultatem praedictam fuisse a Christo Matth. XXIV. 23. Idem agnouit DESID. ERASMVS Epist. Lib. XIX. ep. 107. si libere, inquit, loqui fas est, mundus indormiebat opinionibus Scholasticorum, constitutionibus humanis, nec aliud audiebat, quam de indulgentiis, de potestate Pontificis. De plebis ignorantia vide querelas in Cathechismo min. LVTH. eiusque præfatione. Confer. CHYTRÆ I. Saxon. Lib. II. p. 20. SCVLT E T. Annal. ad 1517. p. 16. VALERIANI MAGNI testimonium citante Venerando Abate BREITHAVPTIO in orat. de indole Reform. n. 4. BOS-SVET. part. I. Liv. V. §. 1. des variations. Grauissime & speciatim hanc vniuersalem ignorantiam exposuit FRID. MYCONIVS Pastor Gothanus in hist. Reform. c. 1. quam ante aliquot annos celeberrimus aulæ Saxo-Gothanæ Theologus SALERNEST. CYPRIANVS in publicum emisit. §. 6.

## §. VI.

Ex ignorantia oriebantur vanus Dei cultus, & leuiuscum  
læ superstitiones, ita vt nihil sanum restare videretur, &  
omnis θελατεία cærimonias & immensa pompa absolue-  
retur. Huc pertinent abusus Missæ Pontificiæ, Idolatria,  
inuocatio Sanctorum, horæ Canoniceæ, Confraternitates,  
Canonisationes, Indulgencieæ, Pseudo-Miracula, quæ omnia  
sub opinione meriti perficiebantur. Quantum vero hæ in-  
creuerint superstitiones, docet Synodus Oxoniensis, quæ  
habita fuit a. c. 1408, in qua statutum: vt ab omnibus de-  
inceps doceretur communiter atque prædicaretur: Cru-  
cem & imaginem Crucifixi cæterasque Imagines Sancto-  
rum, ac ipsorum loca & Reliquias, Processionibus, Ge-  
nusflexionibus, Inclinationibus, Turificationibus, De oscu-  
lationibus, Luminaribus, Peregrinationibus venerandas es-  
se. Exposuit varias temporum ante-Lutheranorum super-  
stitiones copiosissime FRID. MYCONIVS loc. cit. FRID.  
SPANH. H. E. p. 1832. sqq. Adde ERASMVM in suis ad  
ALBERTVM MOGVNTINVM litteris Lib. XII. n. 10.

## §. VII.

Non Laicis tantum impietatem & brutam vitam, sed  
& ipsis Clericis merito attribuimus. De athea & inquisi-  
tione Theologorum vita plura exposuit IO. HVSSVS de  
Sacerdot. & monach. carn. abom. Operum, quæ Norim-  
bergæ impressa sunt p. 1. f. 377. sqq. Ad quam Clerici ordi-  
nis petulantiam componebatur vniuersus orbis. IACOB de  
GVITRADE in Catal. test. verit. 10. HVSS. de Mysterio  
iniquitatis Anti-Christi Tom. I. Opp. p. 458. & de reuelatio-  
ne Christi & Anti-Christi. Clericis igitur in Comitiis Au-  
gustanis de LUTHERI motu conquerentibus, respondit  
Imp.

Imp. CAROLVS V. wåret ihr Pfaffen fromm, ihr dürftet keines Luthers teste Lutherio ipso in der Warning an seine lieben Deutschen anno 1531. Tom. V. Ienens. f. 281. quem libellum Beneuolo Lectori hic præcipue commendamus, vtpote in quo nefandas libidines & scelera in Clero dominantia vberrime taxat. De monachorum & monasteriorum corruptela lege, si placet CAVACII histor. Ccenob. Lib. IV & V. NICOL DE CLEMANGIIS de corrupto eccl. statu. PETR. GALLANDIVM in vita PETRI CASTELLANI, a STEPH. BALVZIO edita an. 1674. p. 27. FELICEM FABRVM de hist. Sueu. lib. II. CRANTZ : in Sax. Lib. XI. c. 6. CAROLVM CARAFFAM in Comment. de German. Sacra Restaur. p. 11. MYCONIVM loc. cit. ERASMVM lib. XVII. Ep. 26. PALLAVICINVM hist. Conc. Trid. Lib. II. c. 7. §. 6. fol. 58. SPANGENBERGIVM in Chron. Mansfeld. c. 321. Eiusd. Conc. I de vita LVTHERI.

## THES. II.

DE hoc pessimo orbis Christiani & studii Biblici ante LVTHERVUM statu plures conquesti sunt (§. 1.) publice & priuatim ex viris candidioribus, & (§. 2.) testibus veritatis, qui proxime ante LVTHERVUM vixerunt, immo (§. 3.) ipsis LVTHERI temporibus eadem erant lamenta, quæ omnia vero Romani Pontifices præcipua tanti mali caussa posthabuere. Immo vero plurimos Euangelicæ veritatis testes truculentius persecuti, sacrum Codicem, & candidam religionem quoquis modo legitimo honore (§. 4.) deturbabant.

## §. I.

Publicas de emendanda ecclesia querelas optime cognoscimus ex solis sæculi XV synodis, quæ nil nisi melio-

C

ra

ra ecclesiæ tempora anhelabant. Huc refer (I.) Concilium Pisanum habitum a. c. 1409, in quo schisma quidem papale componebatur (vid. RICHTERI Hist. Conc. Gener. Lib. II. & BELLARMINVM de Concil. autoritate lib. II.) sed ea, quæ ad reformandam rem publicam sacram pertinebant, quæque prima esse debebant, differebantur, licet patres huius Synodi Sess. XVII opus Reformationis absoluendum decreuissent. add. LVC. DACHERIVM Tom. VI spicilegii & LABBEI Conc. Tom. XI. (II.) Concilium Constantiense an. 1414. in cuius sessione III Reformatio ecclesiæ tam in capite quam in membris decernebatur, sed, teste SPONDANO, multa de Reformatione tractata, pauca conclusa. HERM. AB HARDT in histor. Concil. Constant. (III.) Senense 1423, quod Reformationem opportuniori reseruabat tempori, vid. epp. Martini V Papæ Tom. XII. Concil. col. 377. (IV.) Basileense an. 1431. sub eodem Martino V. Pontifice, in quo Reformationem Ecclesiæ tam in capite quam in Membris omnes clamabant Sess. I. Sed Curia Romana, cum de reformando Ecclesiæ Capite ageretur, semper obicem conatibus piorum ponebat, vt videre est in Mart. V. & Eugen. IV. Præcipue in publicis bonorum querelis habendus est PETRI DE ALLIA CO Cardinalis Cameracensis libellus de Reformanda Ecclesia, quem in Concil. Constant. an. 1415 exhibuit, sed sine successu. Ipsi Imperatores, & Principes reformari volebant papam & papatum. Enī vero responsum Mart. V. Papæ, quod Imper. SIGISM. in Concil. Constant. dedit: Ego de hac re (reformatione) per otium cogitabo, imprimis adeundum est Romam, cuius templa, absente iam aliquot annis Pontifice, collabentur. FRID. SPANH. H. E. p. 1856.

§. II.

## §. II.

Ad hunc testimoniis catalogum referendi sunt I. NICOLAVS LYRANVS, glossis, quibus vniuersa Biblia interspersit, notabilis. (BALÆVS Cent. 5. c. 12. Cent. 5. c. 12. Catal. test. verit. Lib. XVIII. p. 809.) II. IO. TAVLERVS, Dominicanus Argentoratensis pietate & candida docendi methodo insignis (vid. Ven. ARNOLDI Leben der Alt-Wälder. HEVELII memoria TAVLERİ instaurata) III. IOANN. WICLEFVS, Doctor Anglicanus Wiclefitarum Pater, S. Scripturæ studiofissimus (BALÆVS Cent. 6. WHARTONVS in append. ad CAVEI Hist. lit. script. eccl. p. 40.). Idem hic Biblia sacra in Anglicanam linguam transtulit. IV. NICOL. OREM Doctor Parisiensis Biblia in Gallicam dialectum vertit, & libellum de Anti-Christo exposuit. V. PETRVS de ALLIACO, quem supra notauimus (vid. §. I. Th. II.). VI. NICOL. de CLEMANGIIS, Theologus Parisiensis, Bened. XIII. a Secretis, qui querelas suorum temporum exposuit in libris de corrupto ecclesiæ statu, de nefandissimo Schismate, de Anti-Christo. Præcipue vero ruinam studii Biblici & Matæologiam istorum temporum cognoscimus ex libello eius de neglectu scripturarum. Iuuat pauca, quæ ad rem nostram faciunt, excerpere. Solebant, inquit, antiqui Parres & Theologi nihil dicere vel adstruere, nisi quod scripturarum testimonio posset confirmari: Unde & HIERONYMVS: *Quod de script. fac. non habet autoritatem, eadem facilitate contennitur, qua probatur &c. &c.* VII. IO. HVSSVS, qui, cum script. S. contra Papæ tyrannidem insultaret, martyris coronam adeptus est (vid. WEISM. hist. eccl. sicc. XV. p. 1035. FRID. SPANHEMII H. E. p. 184. sqq. BASNAGE histoire de

de l'eglise T.I. p. 145 8. sqq.) Præcipue hoc referendus est libellus de abolendis traditionibus hominum. IIIX. HIERONYMVS *Pragensis* sanguissimus HVSSI in veritate profitenda collega, mortem eandem perpeccus. (vid. HERM. AB HARDT Hist. Conc. Constant.) IX. IOAN. GERSON, Cancellarius Parisiensis, Theologus sui temporis integerrimus, qui in libello, de modo reformati ecclesiam, de ruina ecclesiæ & sacri Codicis multum conqueritur. (RICHERIVS in Concil. lib. II. p. 125. sqq. ELLIES du PIN en histoire de l'Université de Paris) X. THEODORVS A NIEM Germanus longo vsu curiae Romanæ scelera cognouerat, quæ vna cum temporum & Religionis miseria exponit in lib. de Schismate. Quod in testibus veritatis habendus sit, optime demonstrauit MEIBOMIVS in vindiciis Niemii, contra obrectationes MAIMBOVRGII p. 4. sqq. Plures sunt equidem, qui ante LVTHERVVM de corruptela religionis & vitæ Christianæ questi sunt, quorum nomina tantum adiungimus, lectorum delegantes ad GOLDASTI, RICHERII, SARBONICI, LAVNOII, FLACII, MORNAEI opera, quæ huic materiae inseruiunt; Sunt nimurum SAVANAROLA, ZABARELLA, POGGIUS, VALLA, AENÆAS SYLVIVS, DOMINICVS de DOMINICIS, AGRICOLA, CAPNIO, WIMPHELINGIVS, PLATINA, TRITHEMIVS, IO. BAPT. MANTVANVS, IO. PICVS, qui omnes, dum vixerunt, cognouerunt, securim ad radicem positam, inclinatas esse arborem, ut cadat, nec posse diutius consistere; cum quotidie noua scandalia ex deformitate Clericorum insurgant.

### §. III.

LVTHERVUM LVTHERIQUE coæuos de ruina Ecclesiæ speciatim sacri Codicis multas effudisse querimonias, nemo negat,

negat, qui historiam Lutheranisini superficiaria tantum opera perlegit. Neque enim Pontificios scriptores LVTHERO omnibusque bonis, qui eiusdem tempore vixerunt, idem attribuere pudet. Quod patet ex *Anti-Museo EBERMANNI e Soc. Iesu, qui Quæst. V Reformationem, inquit, scriebant omnes (Leonis X. tempore NB.) salua fidei integritate: nec e numero istorum forsan erat primo extrudendus ipse LVTHERVS.* Ipse LAVRENTIVS SVRIVS, iniurius alioquin & inimicissimus LVTHERO scriptor in suo rerum gest. Comment. ad ann. 1517. p. 93. idem adfirmat, in ipsa sacrorum restaurandorum Tragedia visum fuisse LVTHERVM non pessimo zelo moueri, neque aliud quidquam spectare quam Ecclesiae reformationem, cuius quidem deformes abusus nemini bonorum arridebant. Nunc vero ipsas LVTHERI de misera Dei diuinique verbi caussa querelas audiemus, quas non quidem omnes proponere vacat, neque enim hoc nostri est instituti, sed quasdam tantum indicabimus, quæ animum LVTHERI in miseriis orbis Christiani detegant. In libello de Missa angulari s. solitaria Tom. VI Altenb. fol. 109. *Gloria, inquit, & laus sit Deo, quod ad tempus hoc vixerim, quo oculis video meliora tempora & legirimum Sacramenti sanctissimi usum. Video hunc magno cum cordis gaudio, post abominabilem obusum, quem ipse, prob dolor! sub corruptelis Pontificiorum tot annis adiuui. Et paullo post: Papatum agnoscimus pro corruptione s. de solatione & Anti-Chrïsto, qui ecclesiam & verbum Dei impugnat.* Præcipue querulus LVTHERI animus deprehenditur in Resolutionibus, quibus Theses suas confirmavit, quæque exstant in Tom. I. Lat. Ienens. fol. 97. sqq. *Aduersarios meos rogo, ut ferant dolorem meum, quo crucior, dum audio, ea prædicari in Eccl. Christi, quæ nunquam scripta & sta-*

tura sunt. - - - Ea est sæculi nostri infelicitas, ut etiam  
doctissimi & sanctissimi Viri non possint Ecclesiae succurrere. - -  
Est enim tempus peccatum, inquit Proph. Amos, ideo prudens in  
illo tempore tacebit. In eodem Resolutionum libello fol.  
102 & 117 sua tempora opponit Ecclesiae Christi primiti-  
uae, & explanat, quod hodierna sæcula sint tartarus Simo-  
niarum, libidinum, cædium, reliquarum abominationum.  
add. fol. 119. Tom. I. Altenb. fol. 111. Hæc omnia LVTHERI  
diæta, quæ passim in ipsius Opp. occurruunt, demonstrant,  
quod sola temporum suorum miseria, non odio quodam  
Pontificis, s. ambitione præpostera, ut suspicatur PALLAVI-  
CIVS lib. I. c. 4. n. 93, ad restaurandam ecclesiam & scri-  
pturam sacram fuisse incitatum. Querelas MYCONII Pa-  
storis Gothani vid. in ipsius Hist. Reform. sub cuius exordio  
faciem corruptæ ecclesiae, corruptæ religionis luctuosissime  
deplorat. Idem facit ERASMI Ep. VII. Lib. XIV. In Con-  
cilio Pisano anno 1511 habito, quot & quanta fuerint bono-  
rum lamenta optime cognoscimus ex actis eiusdem synodi a-  
pud RICHERIVM lib. IV. p. 167 sqq. Adiungenda hic sunt  
paucula ex epistola huius synodi ad Max. I. Imp. data d. 12  
Nov. 1511. *Adsurge, Cæsar optime, adesto, vigila, labitur  
ecclesia, opprimuntur boni.* - - - *Tuum ecclesia magna mi-  
serabilitque voce auxilium rogitar.* AENEAS SYLVIVS, de-  
inde Papa, in lib. de moribus Germ. contr. domin. papalem  
multa queritur, licet deinde Pontifex M. plane mutatus fue-  
rit ab illo. RICHER. lib. IV. p. 1. hist. Conc. p. 97. sqq. Pa-  
risiensium Theologorum iudicium vid. ibidem p. 140. lib. IV.  
Quod Pontifices Romani Sacrum Codicem, adeoque  
Studio Biblicum impediuerint, quiuis fatebitur, si crude-  
lem

lem illam & bruta*m* INNOCENTII IIII constitutionem fu-  
erit meditatus; qua verna*c*ulum Bibliorum usum in ecclesia  
Laicis adimi voluit, arbitratus, mysteria fidei Catholicæ non  
cum sordida plebe esse communicanda. Vid. INNOCENT.  
III. Decret. ad Metens. quæ est CXLI. lib. II. Tom. I. Ep. Ed.  
BALVZII, p. 432, 433. Sane significavit nobis Ken. frater  
Episcopus Metensis per litteras suas, quod tam in Diœcesi, quam  
in urbe Metensi Laicorum & Mulierum multitudo non modica,  
traxa quodammodo desiderio Scripturarum, Euangelia, Epi-  
stolas Pauli, Psalterium, Moralia Iobi, & plures alios libros  
sibi fecit in Gallico sermone transferri. Ad quæ respondet  
Pontifex: Hos esse eanes & porcos, qui sanctum dilacerant,  
& margaritas contemnunt, quales sunt, qui euangelica ver-  
ba & ecclesiastica sacramenta non ut Catholicivi venerantur, cet.  
Arcana fidei Sacra*m*enta non esse possim omnibus exponenda,  
cum non possim ab omnibus possint intelligi. En! Lector Be-  
nebole, inhumanum illud & vere Anti-Christianum Ponti-  
ficiis præceptum, quo ad cœcam obedientiam plebeias ad-  
stringere mentes studuit, & sedulum Bibliorum studium,  
quod ipse Christus tantopere commendauerat, a concioni-  
bus, a cathedrali scholarum, a Clero & Plebe remoueri allabo-  
rauit. Hæc Pontificum Romanorum impietas præcipius er-  
rat fomes dominii papalis, Mateotheologiae, Idolatriæ, Tra-  
ditionum, Apotheoseos Aristotelicæ, quæ omnia frustra in  
Codice S. quæri, ipsi Pontifices nouerant. Add. HEINS.  
Hist. Eccl. Tom. III. p. 1071. Hic est pestilentissimus iste  
error, quem B. LUTHERVS in instaurando studio Biblico  
sæpius momordit.

## THEISIS III.

**M**Ultum præterea fecit ad Studii Biblici ruinam,  
(§. 1.)

(§.1.) Theologiæ genuinæ, (§.2.) Philologiæ sacræ,  
 (§.3.) Hermeneuticæ, (§.4.) Historiæ Christianæ,  
 (§.5.) cæterarumque artium, quæ multum ad rite  
 tractandam S. Scripturam faciunt, neglectus, qui  
 tantus sæculis Ante-Lutheranis fuit, ut vix vola & ve-  
 stigium solidæ eruditionis supereisset.

## §. I.

Vniuersa Theologia ecclesiæ Occidentalis successivæ in-  
 finitis corruptelis fuit inquinata, ita, ut tandem vix sanum  
 quidquam relinqueretur. Quod ad Theologiam Dogma-  
 ticam attinet, erroribus & superstitionibus eam fuisse refer-  
 tam cognoscimus, quod iam a sæculo VI & sqq. animad-  
 uertitur. Licet enim Theologiam Theoreticam methodo  
 systematica consignatam ante IO. DAMASCENVM nullam  
 habuerit Ecclesia occidentalis, qui sæc. VIII de orthodoxa  
 fide primum Systema edidit: (vid. Opera DAMASCENIA  
 MICH. LEQVIEN, Dominicano Gallo edita, Parisiis anno  
 1712 fol.) tamen in censem hic venire possunt Symbola ab  
 antiquioribus illustrata, vbi paulatim tricas & minutias oc-  
 currere videmus. Vid. B. ZORNIVM Hamburgensem, in  
 noua collectione symbolorum plusquam 60 Rostochii 1706.  
 Corpora Theologica primo quidem conscripsere Latini  
 Sæc. XII, cum primordia caperet sua Theologia Scholastica  
 Sophismatibus & philosophematis repleta, in qua Scoti-  
 starum, Thomistarumque armenta dudum sine fructu desu-  
 dauere (vid. supr. Thes. I. §. 3.) & CHRISTIANI  
 AVGVSTI HEVMANNI præf. de origine, natura, &  
 Ætio<sup>logia</sup> Theol. & Philos. Scholast.) Quorum omnium ca-  
 catalogum exhibit GVL. CAVE in hist. litterar. Script. eccl.  
 Sæc. XIII. Suntii: PETR. ABELARDVS, PETR. LOM-  
 BAR-

BARDVS, ALEXAND. HALES, THOM. AQVINAS, ALBERTVS M., BONAVENTVR, DVRANDVS a S. PORCIANO, IO. BACONVS, GVIL. OCCAM, ADAM GODDAMVS, IO. DVNS SCOTVS, vt sequiores fere infinitos omittamus, ne ex charta in papyrus exscribere videamur. Optime exposuit miseram Theologiae Dogmaticae sub Scholasticis faciem CHRIST. MATTH. PFAFFIVS Cancellar. Tübingeris in Introductione in hist. Theol. litterar. Tom. I. p. 194. Tandem, inquit, relictâ simplici ac puriori veterum doctrina in Scholis Christianorum pâne vnicē regnauit Theologia Scholastica, aduocata in subsidium Aristotelis Philosophia ex turbidis Arabum lacunis & versionibus malefactis. Ad Theologiam moralem quod attinet, erant quidem ex patribus aliquot, qui integre præcepta moralia traderent, vt E. PHREM SYRVS, CHRYSOSTOMVS, MACARIUS, BERNARDVS, alii: (vid. PETR. POSSINI Iesuitæ Parisiensis Thes. Asceticum Parisiis editum 1684. & GEBHARD. THEOD. MEYERI Introd. in theor. pragmaticæ studium) sed æuo Theol. Scholasticae obscuro misere pragmatica Theologia a Theologastris est lacerata, cum opera Aristotelis ethica præceptis Dei pessime miscerentur teste B. BVDEO in Institutionibus Theol. moralis proleg. §. XXI. add. IOAN. MICHAEL LANGII Diff. de origine & progressu Theologie moralis systematicæ, & IO. LAVNOIVM de varia Aristotelis in Scholis fortuna p. 33. vbi videmus, Brunswigæ Ethicam Aristotelis pro concione tractatam. Eodem modo iudicandum de fatis Theologiae Exegeticæ, & medii æui commentariis Theologico Exegeticis. De patrum exegesi vid. PER RICHARD SIMON en *Histoire Critique des principaux Commentateurs du N. T. depuis le commencement du Christianisme jusque à notre*

*notre tems avec une dissertation critique sur les principaux actes MSS. Rotterdam. 1693.* Nihili æstimandæ sunt compilationes scholasticorum Exegeticæ, Glossa ordinaria, cuius autor est WALAFRIDVS STRABO, Abbas Augiensis IX Sæculi, LOMBARDI, ALBERTI M. THOMÆ hac in parte eiusdem furfuris scripta. Quam misere Codicem, si quis erat in manibus, sacrum explicauerint, quam sensu allegorico inhæserint, optime exposuerunt RICHARD SIMON en histoire Critique du Vieux Testament lib. III. c. 11. pag. 414. & IO. FRID. MAYERVS Biblioth. Biblica p. 53 -- 58.

## §. II.

Philologia Sacra, præsertim Hebraicæ linguæ cognitio, semper fere, si tempora ante Lutherum spectes, ab orbe Christiano exilauit, ita, ut in tanto SS. Patrum catalogo, præter ORIGENEM & HIERONYMVM, paucos, qui Hebraicæ calluerunt, inuenias. Peculiare enim videbatur Hebraicæ linguæ studium soli Iudæorum genti, quæ semper in conseruanda lingua S. fuit occupata, comprobante hoc V A L E R N. LOESCHER O de Caus. ling. Hebr. Lib. I. Cap. 8. BASNAGE Histoire des Juifs lib. VII. add. Ven. 10. CHRISTOPH. WOLFIVM in Bibliotheca Hebr. P. II. p. 546. seqq. En! verba IO. GOTTL. CARPOVII in Critica S. Vet. Test. p. 221. Tiberienses Doctores quinto post Christum natum sæculo magno studio in linguam Hebræam & Bibliorumlectionem incubuerunt, corruptioni codicum obicem posuerunt. Et pag. seq. Septimo Sæculo, cum Saraceni Arabes & opibus & litteris florerent, multi Iudæorum & ad Arabicam linguam animum appellere, & ad Arabum imitationem lexi- & grammaticas Hebræas moliri cœperunt. Præcipue huc faciunt Theologi Helmstadiensis von der HARDT Ephemeris.

merides Philologicæ, in iisque præsertim prodromus, in quo speciatim de fatis studii Hebraici plura proponit. Propter hanc vero Christianorum ignorantiam in studio lingg. sanctarum saepe a Iudeis circumagitatos & vexatos fuisse Patres ex Christiana patet historia. Vere itaque iudicat B. RICHARD SIMON in Historia Critica V. T. P. I. Cap. V. plurimos ecclesiæ patres, qui Hebraica neglexerunt, ad Hexapla Origeniana, & Aquilæ codicem refugisse, adeoque multos in studio biblico præcipue Exegetico errores commisſe. Multo maior vero erat ruina S. Philologiæ mediis noui fœderis temporibus, quæ vulgo scholastica appellamus, vbi Græca pariter ac Hebraica a Monachis non potuerunt legi, tantum abest, ut ab ipsis intelligi & explicari potuerint. Videſi placet IO. FRID. BERTRAMI, Concionatoris Aulicæ, & Consistorii Adſessoris in Frisia orientali, Patroni & amici singularis, Introd. in lit. Elegant. p. 224. vbi eos Hæreticorum nomine venisse mediis temporibus indicat, qui Græca & Hebraica calluerunt; add. Eiusd. Diff. de vera medii æui barbarie. Iuuat hoc loco addidisse testimonium celeb. Iu reconsulti IO. CONR. HERESBACHII, qui sub finem Sæc. XV vixit: *Audiui, inquit, Monachum in ecclesia declarantem, qui noua, aiebat, reperta est lingua, quæ vocatur Græca. Ab hac sedulo cauendum. Hæc est, quæ parit omnes bæresistas.* Vid. DIETERICI Græciam Exulantem lit. B. 46. & RECHENBERGII Diff. de Ineptiis Clericorum literariis §. 14. Præsertim de ignorantia Studii Hebraici iudicat Ven. REIMMANNVS in Hist. Lit. Germ. P. II. p. 141. quod ea vbi cunque obscuris temporibus fuerit dominata, quod facile coniectari licet, cum Græca lingua eousque neglecta fuerit. Nititur Theologus hic Hildesienſum cele-

D 2

ber.

berrimus autoritate CLAVDII ESPENCAEI in Comment. ad epist. II ad Timoth. c. 3. qui adserit: *Hoc rudi & inficeto Sæculo (XI & XII.) Græce posse suspectum: Hebraice posse pæne hereticum fuit.* Neque enim in censum vocandæ sunt nescio quæ Abbatis TRITHEMII gloriationes Encomiastico-Historicæ, quibus aliquot Græcos atque Hebræos in medium profert. Quid miraris itaque, L. B. si in tanta Philologicæ S. ignorantia tantum studii Biblici neglectum offendas?

### §. III.

Præcipue hic sermo est de Hermeneutica, quam, vocant, sacra, quæ, quam misere fuerit mediis temporibus exulta, facillime cognoscemus, si non tantum ad eruditionem vniuersalem penitus collapsam, verum etiam ad labores Hermeneuticos mentem conuerterimus. Non est, quod ad priora testamenti noui sæcula hac in parte recurramus, & Hermeneutas sacros Græcæ pariter ac Latinæ Ecclesiæ explaneamus, quod eruditio & consummato opere fecit supra laudatus IAC. FRID. REIMMANVS in Hist. Theol. Exegeticæ, quæ præmissa est versioni sacræ Simonii Criticæ. Portentosam Hermeneuticæ S. faciem obscurorum sæculorum breuiter indicasse sufficiat, vt inde faciem neglecti Studii Biblici eo melius exploremus. In Græca Ecclesia propter indignum Philologicæ S. neglectum, propter defectum principiorum & adminiculorum, quæ sacrum interpretem vbi-cunque iuuant, a Sæculo VI vsque ad excidium Constantinopolis Hermeneutica Sacra omnino in puluere & obliuione iacuit. vid. CRVSII Turco-Græciam lib. VII. p. 494. sqq. Hinc nemo Græcorum poterat Commentarios in S. Codicem legitimos elaborare, sed sufficiebat Catenas græcas i. e. ex-  
cerp-

cerpta ex scriptis CYRILLI, CHRYSOSTOMI, GREGORII, aliorumque Exegeticis constipare, quod futili conatu fecerunt Sæc. VI OLIMPIODORVS Alexandrinus; Sæc. IX OECVMENIVS; Sæc. XI NICETAS SERRON, & THEOPHYLACTVS Chrysostomi operum plagiarius; Sæc. XII MACARIVS CHRYSOCEPHALV S. (vid. 10. CHRIST. WOLFIUM in pecul. Diff. de Patrum Catenis Græcis, & REIMMANNI Biblioth. Acroamaticam e Lambecio collectam pag. 195.) Ad hunc Hermeneuticæ S. in Græca ecclesia neglectum plurimum fecit iniusta Romanorum Pontificum voluntas, qua priuatis ius commentandi in Codicem S. & interpretandi scripturam adimebant, qua omnes interpretes, qui supra Papam & concilia sapiebant, anathemate concutiebant (vid. METROPHANEM CRITOPVLVM in Confess. p. 98. & acta Würtemb. p. 368.) In Latina itidem Ecclesia post aliquot fidei bonæ interpretes HILARIVM, AMBROSIVM, HIERONYMVM, AVGVSTINV M, qui methodo legitima sacras scrutabantur paginas, studium Hermeneuticum fuit nusquam auditum. Cuius rei cauſa, vti iam supra a me indicatum est, ignorantia fuit Sanctorum lingg. & nimia Paparum autoritas, qua Sacrorum Bibliorum interpretationem sibi tantum referuare sunt conati. Adsentior itaque lubentissime Ven. REIMMANNO, qui p. 55. hist. Theol. Exegeticæ nil nisi Rapsodias & Compilationes a Patribus Latinae ecclesiæ mediis temporibus contextas fuisse adseuerat. Quid, quæſo, sunt BEDÆ VENERABILIS Commentarii, quam farrago Allegoriarum, & excerpta AMBROSI, AVGVSTINI, HIERONYMI promiscue commixta? SIMON Hist. critique Part. I. cap. 5. P. II. cap. 24. Quid speres ex WALAFRIDI STRABONIS glossa ordinaria, quæ supra iam commemo-

D 3 rata

rata fuit, præter Patrum commentationes impeditissimo ordine collectas, quæ Glossa tamen temporibus Scholastico-rum ante B. L V T H E R U M tantum valuit in cathedralis Academicis, vt, teste REIMMANNO, ipse sententiarum magister P. L O M B A R D U S eam voce Autoritatis *ναὶ ἐξοχὴν* insigniret his verbis: Autoritas dicit cet. vid. R. SIMON P. II. c. 27. P.I. c. 6. De HAYMONIS vita & operibus exegeticis vide Ven. D. ANTONII Diff. Theologico-hist. de Vita & Doctrina HAYMONIS p. 12. Actum itaque agebant Patres Latinæ ecclesiæ iam ante tempora Scholastica, cum dotibus & admiculis Hermeneuticis destituti ad opera maiorum recurre-rent, & quæ suo ordine isti consignauerant, præpostero more recoquerent. Peiores erant his Doctores Scholastici in stu-dio Hermeneutico, qui præter plaga Patrum antiquiorum indigna ex meris principiis sive potius quisquiliis Aristotelicis Script. S. explicabant, & propter ignorantiam SS. lingg. in sacri codicis sensum litteralem, qui tum temporis sepultus iacebat, maxime erant iniurii, quod videre est ex triade Doctorum PETRO LOMBARDO, ALBERTO M., THOMA AQVINATE. Quorum commentarii multa loquuntur de septemplici S. Scripturæ sensu historico, tropico, allegorico, anagogico, figurativo, dignitatiuo, absolutiuo, eademque ratione diuina oracula pro lubitu & arbitrio distorquent.

#### §. IV.

Quamuis historia ecclesiastica iam primis N. T. tempo-ribus aliquantulum corrupta fuerit, quod inter alios fecit EVSEBIUS in Hist. eccl. & Præparatione Euangelica: post ea tamen reperti sunt aliquot strenui huius discipline vindices, qui fata ecclesiæ iusto ordine, bona fide, & accurato iudicio consignarent. Quorum in numerum referendi sunt

50-

SOCRATES, SOZOMENVS, SVLPICIUS aliique. Præci-  
pue de antiquitate ecclesiastica bene meruit HIERONYMVS  
Stridonensis, qui in libro de Scriptoribus ecclesiast. non do-  
ctores sacros tantum indicat, sed singulare etiam orbis Chri-  
stiani fatali lucide exponit. Idem fecit in Græca ecclesia PHO-  
TIVS Constantinopolitanus, Vir maximi sane nominis, &  
portentosæ eruditio[n]is, qui historias non quidem leuiter, sed  
iudicio pragmatico, quod munera obeunda acuebant, con-  
scripsit. Mediis vero temporibus neminem inuenias facile,  
qui fata ecclesiæ suo ordine exposuerit, cum potius histori-  
am ciuilem & sacram vbiunque commixtam sœcula media  
offerant, quod non sine Pontificum Romanorum summo  
gaudio contigisse merito suspicamur, qui sua Regumque fa-  
cta ita inter se inuicem impediri volebant, vt difficile esset ab  
vtraque parte rite & decenter distinguere iura principum &  
paparum. Quum vero & Monachi, qui ad conscribendam  
historiam præ cæteris se accingebant, stupida essent pecora,  
facile colligimus, summa cum *ἀργοτα*ia eos ad tantum opus  
accessisse, quam Monachorum negligentiam carpit PHIL.  
MELANCHTHON in epist. ad CONR. VRSPERGENSEM:  
*Monachi*, inquit, *plerumque scribebant historias imperiti, &*  
*historias antiquas ne videront quidem, sine exemplo sine arte in-*  
*fantes.* Eadem ratio est, cur tot fabellas, tot pseudo-Marty-  
rologia, Miracula, Reliquias deprehendamus. In vitis San-  
ctorum sexcenta mendacia occurtere, in actis conciliorum  
omnia ex præiudicio dominii papalis composita esse, faciem  
ecclesiæ externam internamque penitus neglectam, hereses  
puerili modo vbiunque coaceruatas cognoscimus. De  
DITHMAR Chronico Martisburgensi, quod MS. ME-  
LANCHTHONI transmiserat SPALATINVS iudicat idem ME-  
LANCH-

LANCHTHON in epist. ad SPALAT. 1530: *Historicus (Dithmarus) me minus delectauit. Miror homines aulicos ne vidisse quidem, quæ res essent mandandæ litteris. Nugas cærimoniarum recenset, res grauiores prætermittit. Quod idem de cæteris omnibus iudicare licet.*

## §. V.

Huc faciunt Asophia Philosophica, Sophismata, Aximata Aristotelica, quæ autore HERM. CONTRACTO in Germaniam introducta, quæque in vniuersa Europa obscuriori saeculo dominabantur. Vid. HACHENBERGII Germ. Media Diff. 6. p. 213. CONRING in Antiqq. Academ. p. 343. In arte logica deerant saniora præcepta, & præiudicium Diui, vt vocabant, Aristotelis omnium mentes occupauerat, ita, vt Laici obscurorum temporum in infinitis canonibus, distinctionibus de incipit & definit, de suppositionibus, distributionibus, insipido sanc more philosopharentur. Vid. KERCKERM. Hist. Log. p. 19. sqq. Eadem erat Aristotelicæ Metaphysics facies, quaæ nil nisi Quodlibeta, Hæccitates, Quidditates sonabat, & Doctores Seraphicos, resolutos, irrefragabiles, planos sua mole fere supprimebant. Corruptelas Latini Stili & Prosaici & Metrici cognoscimus optime ex HUTTENI, REVCHLINI aliorumque epistolis obscurorum virorum. add. ERASMI SCHMIDII, olim apud Witembergenses Prof. Græci Calendarium Etymologicum papisticum, in quo præcipue *Etymon* vocabuli *Sebastianus* risum lectori merito mouet. Neque vero est, Lector Beneuole, quod per singulas artes, Poësin, Grammaticen, Graphicen, Mathesin, Genealogiam, Geographiam cæteras diuager, cum satis facere possint HACHENBERGII Dissert. de Media Germania, MORHOFII Poly-

Polyhist. Litter. de fatis artium. Hoc sole clarius adparet, in tanta omnium artium ruina de studio Biblico ne rite quidem cogitari potuisse.

## THEISIS IV.

**Q**uemadmodum itaque Studium Biblicum vna cum cæteris artibus penitus exspirauit, & Doctores Ecclesiastici nil minus quam de recte tractando Codice S. cogitarunt; ita sensim renascentibus litteris, & restituta eruditione via b. LVTHERO ad Instaurandum S. Scripturæ Studium fuit parata, quod Capite iam secundo vltius exponetur.

CAP. II

DE RENASCENTIBVS ADMINICVLIS  
ET PRIMITIIS STVDII BIBLICI.

## THEISIS I.

**I**gnorantia & peruersitas Doctorum Ecclesiæ Theologiam & Studium Biblicum dignitate sua deturbauerat; pestilentissima barbaries reipublicam eruditorum sæuissime corruperat; cum non sine singulari Dei prouidentia (§. 1.) aliquot viri & (§. 2.) principes candidiores exsurerent, solidamque eruditionem ad pristinum decus reuocarent, quæ reipublicæ litterarioræ commutatio (§. 3.) παλιγνεσία litterarum solet adpellari, quæque ad restaurandum, & rite tractandum Studium Biblicum plurimum adminiculata est.

E

§. I.

## §. I.

Huc referendi sunt primi litterarum instauratores, eaurundemque patroni. FRANCISCVS PETRARCHA Florentinus, qui medio Sæc. XIV floruit, sine dubio in primis bonarum artium Instauratoribus haberri potest. Patrocinio Paparum, Regis Galliæ, aliorumque vñus, Auenione, Veronæ, Paduæ, Venetiis, Parmæ, Mediolani artes humaniores non sine summo adplausu docuit, cum præcipue in Eloquentia Prosaica & Metrica multum excelleret, quod constat ex operibus Basileæ Tom. IV anno 1581. editis. Addimus exsules eruditos Græci orbis MAN. CHRYSOLORAM, BESSARIONEM, DEMETR. CHALCOCONDYLAM, THEOD. GAZAM, ARGYRO PILVM, GEORG. TRAPEZVN TIVM, LAONICVM CHALCOCONDYLAM, IO. LASCARI M, MARVLLVM, alias, qui non tantum in græca lingua orbem Europæum iuuerunt, verum etiam aliis artibus, præcipue studio Grammatico Græcæ ac Latinæ linguae, quod ope Constantini Conſtinopoli nondum obſoleuerat, vt vel ex solo PRISCIANI exemplo adparet. De summis horum in Philologiam S. meritis plura deinde commemora hūntur. Horum vestigia & eruditionem, quæ vniuersam Italiam illustrauerat, felici passu in studio latinæ ling. sequentabantur LAVR. VALLA, qui nimio genuinæ latinitatis studio insipuit quidem, sed tamen multa ad repurgandum Latii nitorem contulit; ANGELVS POLITIANVS, cui tantus ardor Latinæ & Græcæ linguae iniectus erat, vt vulgatam Bibliorum versionem propter corruptum dicendi genus reſpuendam censeret, & Odas Pindaricas Carminibus Dauidicis multum præferret. Iucundum sane est, ex Historicis cognoscere, quam increuerit Latinitatis studium, quam stre-

strenui Oratores, Poetæ prodierint, in quibus habendi  
 sunt PEROTTVS, ERASMVS, MANVTIVS, POGGIUS  
 vterque, PHILELPHVS, POMP. LÆTVS, RVD. AGRI-  
 COLA. Ipsum studium historicum, philosophicum, ma-  
 thematicum melius & candidius fuisse tractatum, compro-  
 bant PLATINA, qui in vitis Pontificum veritatem secutus,  
 plurimorum odium in se concitauerat, TRITHEMIVS, P.  
 IOVIVS, ALBERTVS CRANTZIVS, IO. CVSPINIANVS,  
 alii. Quid plura? Reuiuiscebat tum temporis solida eru-  
 ditio, & artium decus non sine magno Monachorum dis-  
 sensu, qui tanquam serua Paparum pecora ignorantiam optimum  
 Pontificiae superstitionis & Matæolatriæ stabilimen-  
 tum conseruari præoptabant. Quorum infinita murmura  
 acerrime repressit ERASM. ROTERODAMVS in encomio  
 Moria (vid. SECKEND. Hist. Luth. p. 103.) Cæterum mi-  
 randa est subita artium in regionibus Europæis propagatio,  
 cum arctissimo temporis interuallo ex Italia primitiva re-  
 stauratae artis sede, eruditio transuolare Alpes, & diligen-  
 tissime publico sumtu docerent, ARGYROPILVS Romæ,  
 MASVRVS Venetiis, GEORG. TIPHERNAS & HIRON.  
 SPARTIATA Parisiis, in Batauis deinde ac Germanis DES.  
 ERASMVS, IO. CAPNIO, AGRICOLA, in Britannis THO-  
 MAS LINACER, in Hispania ANTONIVS NEBRISSENSIS,  
 adeoque vniuersa Europa renascentia splendidioris doctri-  
 nae sidera demiraretur. Hanc vero παλιγγενετιᾱ bonarum  
 artium expeditissimum fuisse studii biblici instaurandi  
 adminiculum, facillime mecum omnes adfirmabunt,  
 qui sacras & diuinæ artes licet excellentissimas ne-  
 cessitudinis quodam vinculo cum doctrina & scientiis  
 humanis coniunctas esse cognouerit. Obseruamus enim

in repetendis ecclesiæ antiquioris fatis, quod in ruina bonarum artium plerumque decus Religionis Christianæ fuerit prostratum, inter renatam vero eruditionem paulatim exsurrexisse & increuisse studium Biblicum, & Theologiæ. Ita Sæc. IV & sequentibus vbiunque cum barbaris gentibus irruente barbarie, Doctrina Christiana multis erroribus paullatim fuit conspersa. Sæculis eruditionis obscuris, obscura & tetra erat Christianæ religionis facies. Resurgentे Sæc. XV republica litteraria respublica ecclesiastica idem cepit incrementum. Ignorantia enim, vti iam a me Seçt. I. §. I. expositum est, fuit tutissimum iniustitiae & nequitiae papalis operculum. Ignorantia recti bonique fiebat, vt ordo Clericus in tanta caligine licentia sua & proteruia abuteretur. Contra vero in cultura scientiarum & ingeniorum supersticio vana, quæ mentibus hominum infixa & innata videbatur, fortiter depelli poterat. Neque vero illustriores eorum temporum viri nesciuerunt, literarum peritiam in reformanda ecclesia esse necessariam & vtilem. ERASM. R O T E R O D A M V S, qui ad resuscitandam religionem & litteras non parum contulit, sepius contra indecentissimam Papatus ignorantiam insultauit, cum optime nosset, hac sublata & euera legitimam demum Christiani orbis repurgationem posse institui. L V T H E R V S ipse, non bonus tantum Theologus, verum etiam Philosophus atque Philologus, eruditioni, præcipue studio Lingg. OO. proximo studii biblici subsidio est patrocinatus, quod a me, si ad Part. II. tractationis transfiero, Lectori vberius explanabitur. Vnicum hoc loco addo testimonium ex Epp. B. L V T H. ad EOBAN. HESSVM, optimum Germanie nostræ Doctorem Tom. II. Epp. f. 307. b. ex quo adpareat, L V T H E R V M  
sup.

suppetias παλαιγενιτιας litterariae in Reform. Ecclesia & Restauranda Religione ingenue esse professum: *Ego, inquit, persuasus sum, sine literarum peritia prorsus stare non posse sinceram Theologiam, sicut haecenius ruentibus & iacentibus literis miserrime & cecidit & iacuit. Quin video, nunquam fuisse insignem verbi Dei revelationem, nisi primo velut præcursoribus Baptiſtis viam pararit, linguis & litteris.* FRID. MYCONIVS itidem Dei prouidentiam in restitutione scientiarum agnouit, quum in hist. Reform. c. 3. adserit: *Es waren damals viel seine gelehrte Leute hin und wieder in Germania: als hätte sie unser lieber Herr Gott sonderlich darzugebohren, und gelehret werden lassen, daß er ein ander Spiel anfangen wolle.*

### §. II.

In omnibus rebus publicis, politica sacra, erudita priuatarum piissimi conatus irriti plerumque esse solent, nisi patrocinium & præsidium principum accedat. Idem obseruandum hac in causa, que quam interdum debilitata fuerit, in culto quodam & rudi principe eruditionis hoste, vel solo PAVLI II Pontificis exemplo conspicitur, qui de ruina resurgentis eruditionis multa meditatus, doctores artium & disciplinarum candidos omni ratione vexauit, quod diu experti sunt BARTH PLATINA & POMP. LATVS. Quam bene vero, quod non adeo pauci in principibus Europæ faniora fecuti consilia, recentes & fugitiuas aliqua ex parte Musas suo fauore amplexati sint! Inter ipsos pontifices, cæteraque in eruditionis hostes, erant aliquot laudandi Mæcenates, qui fugitiuos Græciæ exsules, ipsasque Orientis artes in Europam transmigrantes benigne exceperunt, stipendia Doctoribus publica procurauerunt, alumnos aliquot illustriores

enutriuere. CLEMENS V Papa cæterum insulsiſſimus, cum  
a RAYMVNDO LVLLIO, vt perhibetur, ad tantum opus  
incitaretur, in Concilio Viennensi anno 1311 habito conſtituit,  
vt lingua Hebræa, Græca, Arabica, publice in Aca-  
demiis, Parisiensi, Oxoniensi, Salmanticensi doceretur, quo  
adminiculo Candidati Theologiæ contra infideles (*Iudæos pu-*  
*ta & Mahomedanos*) rite vterentur. In singulis linguis duo  
conſtituebantur doctores, quibus stipendia vela Curia Ro-  
mana, vel Regibus Academiarum exſoluerentur. De hac  
CLEMENTIS conſtitutione iudicat B. KORTHOLTIVS in  
Hist. eccl. p. 558. *Ita barbaries, quæ per illa tempora ecclie-*  
*ſias & Scholas occupauerat, qua lingua & scripturarum fon-*  
*tes parui putabantur, multum discussa eſt, poſtquam ipſe Pon-*  
*tifex de bonis artibus reducendis curam gerebat.* Ita, teſte  
MAVRITIO, Prof. Geneuenſium celeberrimo, in oratione  
de lingua Hebraica reformationis adminiculo tandem intelligi  
capit Scriptura. Sic elatum vexillum ad quod cucurrerunt o-  
mnes gentes. Sequitur in Mæcenatibus Pontificibus Roma-  
nis NICOL. V, in quo præcipue laudandum, quod eruditio-  
nem ac eruditos magni aëſtimauerit, comprobante NICOL.  
PHILELPHO in hiſt. NICOLAVS V. opera præcipue eſt  
vſus in restituendo litterarum honore, GEORG. TRAPE-  
ZVNTII & VALLÆ, quibus opulentissima laborum præ-  
mia concessit. ÆNEAS SYLVIVS, poſtea Papa, in hiſt.  
Frid. III Cap. 54. *Adeo, inquit, ingenia excitauit fouit-*  
*que NICOLAVS, vt vix æuum inueniri poſſet, quo magis hu-*  
*manitatis & eloquentiæ, cæterarumque bonarum artium stu-*  
*dia, quam ſuo tempore, floruerint. Illud certe nemo negau-*  
*rit, tot ei a doctiffimis viris in ſcripta eſſe volumina, quoſ neque*  
*ſuorum prædeceſſorum, neque imperatoris cuiuspiam nomini di-*

cata

cata comperimus. NAVCLERV Generat. 49. ita de hoc litterarum Patrono iudicat: *Laudatur NICOLAI liberalitas, qua erga omnes usus est, maxime litteratos. Quos & beneficiis & officiis optime iuuit, eos præmiis ad componendum & ad vertendos Græcos autores in Latinum ita per pulit, ut litteræ Græcae & Latinæ denuo splendorem aliquem adeptæ sint.* Addo HEIDEGGERI iudicium in Hist. Papat. p. 182. *Merito Pontifici huic acceptum referimus, quicquid splendoris Latinæ & Græcae litteræ primum in Italia, postea etiam in Germania accepérunt.* Sicut autem olim Moses in aula Ægyptiaca edocetus est, ut filios Israelis ex Ægypto educeret: ita in ipsa quoque Anti-Christi aula bonas litteras promotas, earumque auxilio Anti-Christum deinde orbe reuelatum mirum certe non est. ANNEAS SYLVIVS, postea Papa PIUS II doctissimus doctis fauebat, cum priuatus esset, & ipse errores pontificios acriter morderet; sed vita papalis nouos mores eruditio orbi noxiros obtulit, cum bulla Retractationum conscripta insanire mallet, & ex more maiorum cœco more dominari. Transimus ad principes Etruriæ Medicæos, præcipue COSMVM & LAVENTIVM, qui eruditos omni modo sustentabant, ita ut HERM. BARBARVS in epist. quadam ad PICVM Mirandulanum fateatur: *Debent litteræ Florentinis, inter Florentinos Medicæos, inter Medicæos Laurentio.* Quod eruditio patrocinium hæreditario quasi iure deinde accepit. LAVENTII huius filius LEO X. Papa. Quantopere vterque & parens & filius DE REVCHLINO meriti sint, vide in REVCHLINI Cabbala, eiusque præf. & epist. dedicatoria. Reliqui sunt HERCVLES, Dux Ferrariensis, Venetiis BESARION, qui domo sua quotidie exsules eruditos enutriebat, præcipue vero PEROTTVM amicum & amanuesem.

In

In Gallia curam Academiæ Parisiensis & doctorum suscep-  
perunt PHILIPPVS Valesius, PHILIPPVS Pulcer, eius-  
que vxor IOHANNA, Nauarræ regina, quæ instituit Col-  
legium Nauarrenum: (vid. LAVNOIVM in Hist. Collegii  
Nau.) præsertim vero FRANCISCVS I. de quo testatur DV  
CHESNE in Antiqq. Franc. Lib. I. Cap. 19. Ad summum e-  
ius Vniuersitatis splendorem accesit, quod faciente GVIL.  
BVDAEO Professores Regii in ea instituti regnante FRANC-  
ISC. I. magno litterarum Patrono. In Belgio idem fecit  
CAROLVS, Dux Burgundie, postea Imperator; In Hispania  
RUPERTVS Palatinus, FRIDERICVS Sapiens, alii. En! Le-  
ctor Benebole, quam confluxerint Europæi principes ad  
succurrentum rebus litterati orbis misericordia, ad sustentandas  
recentes litterarum delicias.

## §. III.

De παλιγγενετικα litterarum plura commentatus est  
ANT. RICCIUS in Orat. quam NIC. KRIEGKIVS ante aliquot  
annos Ienæ edendam curauit, ad quam Te, L.B. relegamus.

## THES. II.

**I**N studii Biblici adminiculis præ cæteris commemo-  
randa erit ars (§ 1.) Typographica, qua factum est,  
vt & ipse sacer Codex, & Commentarii Biblici eo fa-  
cilius luci publicæ exponerentur. Academiæ (§. 2.) re-  
cens institutæ, earumque statuta, quantum studio Bi-  
blico præcipue Philologico inseruerint, ex antiquita-  
tibus Academicis cuique patet. Quantum vero illu-  
strium Virorum & Academicarum (§. 3.) bibliothecæ  
Philologis, Exegetis profuerint, quilibet fatabitur, qui  
fine

sine necessario librorum adparatu sordere studia in-  
primis Philologiam sacram agnoscit.

*anq[ue] h[ab]et aliq[ue] lib[er]to*

*anq[ue] q[uo]d n[on] v[er]o*

*anq[ue] q[uo]d n[on] v[er]o*

De ortu, fatis, & utilitate artis Typographicæ multa  
& docte commentati sunt WILH. ERN. TENZEL VON ERFIN-  
DUNG der Buchdrucker-Kunst. BERNH. MALLINCROT in  
discursu philol. de ortu & progressu artis typographicæ.  
MONS. DE LA CAILLE Histoire de l' Imprimerie & de la  
Librairie. STRVVE introd. liter. p. 516. seqq. BOXHOR-  
NIUS de inuentione artis typographicæ, & plures alii. Ego  
saltrem pauca, quæ ad finem nostrum faciunt, exponam.  
Omnes, qui de arte hac arte quædam conscripsere, viden-  
tur nimium indulgere suæ nationi, Germanis pro GUTEN-  
BERGIO, FAVSTO, MENTELIO, Batauis pro KOSTERO  
acriter decertantibus. In tanto Historicorum dissensu du-  
dum occupatus, vidi tandem, LAVR. KOSTERO, Consili  
Harlemensi merito primitiā artis huius inuentionem de-  
beri, cum Donatum aliosque libellos tabulis ligneis expri-  
mi curauit. Typos vero fusiles GUTENBERGIVM Ar-  
gentoratensem, sed ciuem Moguntinum inuenisse, eadem  
constat ratione, qui habuit adiutores felicissimos IO. FAV-  
STVM & SCHAEFFERVVM. IO. VERO MENTELIVS recens  
inuentum, quod ex legibus Chronologorum refertur ad  
ann. 1440, deinde Argentoratum transportavit, KOBUR-  
GIVS Norimbergam; SCHWEINHEIM & HANIVS Ro-  
mam; RVSSINGERVS Neapolim, IENSENIVS Venetas;  
alii aliorum. Quamuis itaque multi pro natione sua for-  
titer desudent, Germaniae tamen soli deberi tantum tantæ  
artis decus, est in aprico. Sinensium Typographia quod  
tantum artis Typographicæ simulacrum possit adpellari, opti-

F

me

me explanauit ERASM. FRANCISCI in Theatro suo. Non est, quod plura ex historicō adparatu addamus. Supereft, vt Typographiae inuentum reipublicae litterariae, praeципue sacræ vtile fuisse, paucis indicemus. Facit sane Typographia maximum eruditis in labore compendium; cum teste CAMPANIO: *Imprimat illa die, quantum vix scribitur anno.* Merito cam in ingeniosissimis artibus, & diuinis beneficiis haberi volumus cum HIERON. CARDANO de Artibus l. 17. BODINO in Method. Hist. c. 7. & POLYDORO VERGILIO l. II. cap. VII. de rerum Inuentoribus p. 82. En! iudicium PHIL. BEROALDI, quod referente NAVCLERO, exstat in Generat. XLIX. p. 1071.

*O Germania muneris repertrix,*

*Quo nibil virilius dedit Veritas*

*Libros scribere quæ doces premendo!*

Ante inuentam Typographiam defectu rei familiaris & scribarum multi non poterant libri comparari. Vnde factum iudicat S TOLLIVS, saepe in allegandis Patrum scriptis a vi-  
ris medii æui erratum fuisse, praecipue cum Manuscripta so-  
lerent mendis ybicumque scatere. Iam vero scripta pretio-  
sissima impressa vili pretio quaquaversum distrahebantur,  
quæ mentes hucusque cæcas erudire & docere poterant  
(vid. B OECLER. in oratione de Typographia ao. 1640. habi-  
ta.) Multum proderat eadem ars ad propagationem puri-  
oris doctrinæ & Reformationis, cum opera LOTHERI, Ty-  
pographi & Consulis Witembergensis scripta Lutheri non  
sine summo omnium bonorum gaudio prodirent, quæ ea-  
dem FROBENIVS Typographus Basileensis remotioribus  
gentibus procurabat. Vid. iudicium B. LVTHERI ad SPA-  
LATINVM Tom. I. Epist. edit. Aurisab. f. 164. *Venit Melchi-*

*or*

or Lutherus instructus optimis formularum matricibus, a Fabrenio acceptis, paratus apud nos officinam excusoriam instituere. Si ad hoc Illustrissimus Princeps noster annueret, quemadmodum & antea nos Illustrissimæ celsitudini sue indicauimus: tuum nunc officium perit, ut in rem communem consilia colloces. Nobis id decorum imprimis Vniuersitati nostræ, cum commodum auditoribus arbitramur, præsertim præsente Philippo Græcas litteras & copiose & fideliter propagare cupiente. Quanto auxilio fuerit Typographeum huius LUTHERI laboribus Lutheri, præcipue Biblicis, optime videmus expositum in Hist. Versionis Biblicæ Lutheri, quam edidit nuper D. ZELTNERVS, Prof. Altorfinus Celebrissimus. Eadem Typographia quod multum studium Biblicum promouerit, errores Pontificis detexerit, testatur HEIDEGGERVS in hist. Papatus §. 144. Non parum, inquit, ad bonarum litterarum incrementa, & veræ religionis cognitionem, & oppositæ eidem Antichristianæ tyrannidis, quam Romana hacenus Hierarchia in Ecclesia exercuit, contulit diuinum typographiæ beneficium. Vere id quidem. Nam nunc prodeuntibus quotidie libris, præcipue Philologicis & exegeticis, qui ad studii biblici instaurationem ansam quasi præbuerunt, immo, edito aliquot vicibus Codice sacro, qui primus ao. 1450. in versione latina vulgata secundum Chronicon Colonense impressus est genuinis prælis, detegebantur facinora Ecclesiæ Romanæ, eiusque clandestinæ machinationes in omnibus terris promulgari poterant. Conf. Cl. c. A. HEYMANNI Prouidentiam Reformatricem.

## §. II.

Non amplam Academiarum commemorationem hoc loco faciemus, cum perfectissimo opere idem fecerit Tris-

megistus ille Germanici orbis HERM. CONRINGIVS, Norda Frisius in Dissertt. VI. de antiquis Academicis. Satis erit fundationes sive saltem incrementa Academiarum secundum seriem locorum & temporum attigisse. In Hispania occurrit Valentiensis ao. 1210, quæ deinde a FERD. III. Salmanticam fuit transducta, in qua præcipue Sæc. XIV & XV Studium Philologicum fuit tractatum secundum Constitutiones Clementinas Concilii Viennensis (vide GONZALEZ D' AVILA in hist. vrbis Salmanticensis.) In Lusitania notanda est Academia Olyssiponensis, condita a rege DIONYSIO ao. 1290. In Parisiensi Academia, cuius origo ad tempora CAROLI M. referenda est, notandum, quod ROBERTVS DE SORBONA, Lud. IX Sancti Pcenitentiarius, Collégium Sorbonicum instaurauerit, cui instituto Card. RICHELIVS optimum decus addidit. De Collégio Nauarreno IOHANNAE iam supra diximus. Hic addendum Collégij huius emolumentum, quod in eo positum erat, ut docerentur in eo Grammatica, Logica, Philosophia & Theologia, & in eo nutriretur certus stipendiariorum numerus, quibus sub Collégii Rectoribus, teste SPANHEMIO, pro vietū & labore certa assignaretur pecunia. Occurrit præterea Andegauensis a duce LV D. II. Sæc. XIV. ineunte condita; Aurelianensis auspicio PHIL. PVLCRI ao. 1312. Negari hoc loco non potest, Philologiae S. & liberalium artium incrementa præcipue in Parisiensi Academia fuisse cognita. In Italia obseruamus Bononiam, optimum illud reuiuiscentis eruditio[n]is domicilium; Patauim, ao. 1211; Neapolitanam academiam, quæ FRID. II. Imp. habet auspicem; Ferrariensem a Duce ALBERTO ao. 1390. erectam; Pisam ao. 1393. In Anglia Oxoniensis Academia per Episco-

piscopum RICHARDVM Angerulium Durhamensem multum splendoris accepit. In Germania occurrunt Vindobonensis ao. 1237. Coloniensis 1387. Erfurtensis 1392. Praagensis 1360. Heidelbergensis ao. 1385. Lipsiensis ao. 1409. Louaniensis ao. 1427. Rostochiensis 1419. Grypswaldiensis 1456. Ingolstadiensis 1472. Tubingenensis 1477. Friburgensis 1463. Moguntina 1477. Basileensis 1460. Wittenbergensis 1502. Francofurtana 1506. En! quam præ cæteris Germania nostra Athenæis abundauerit, unde neque miramur, in tanto artium exercitio, diuinas artes primo inter nos in conspectum prodiisse. Supereft, L.B., vt quid Academiæ ad instaurationem Studii Biblici contulerint, adpareat. Libenter concedimus, Apotheosin Aristotelicam, quæ vbique in Academiis sonabat, multum nocuisse artibus, multum Studio Biblico. Studium enim Philologicum & Theologicum Sophismatis & tricis Scholasticorum reddebaratur impeditissimum. Accedebat, quod pestilentes papatus errores excusare necesse erat, etiam iis, qui meliora cognoscebant, nisi forte ad ignem & martyria veritatis causa transire mallent, (vid. BALAEVM p. 433. 443. 393. & MIDDLETONPIVM in Academiis passim.) Hoc detrimen-  
tum in felicitate Academica proposuit KORTHOLTIVS in Hist. Eccl. p. 617. Etsi autem nostris regionibus hæc obtingeret felicitas, ut academiis celebribus exornaretur, misere tam res comparatae erant, quia ne quidem bescere quisquam audebat contra erronea ecclesiæ dogmata, nisi protinus ad ignem ab inquisitione hæresium condemnari vellet, quod pluri-  
mi damno suo hac ætate in Wandaliaë urbibus experiebantur. Itane nulla ex Academiis recentibus utilitas in Studio Biblio-  
co? Maxima sane. Doctores enim in Academiis, eorum-

que labores egregii in Philologia & cæteris artibus, quæ in Studio Biblico fundamenti loco habendæ sunt, aliud docent. M A N. C H R Y S O L O R A S Græcam Linguam bono cum successu docebat Florentiæ & Romæ. G E O R G. T R A P E Z U N T I V S, N I C O L. v. Secretarius litteras elegantiores Romæ ita restituebat, vt plures eruditæ inde ad alias gentes transvolare potuerint. S P A R T I A T A & T I P H E R N A S Parisiis multa cum gloria studium Philologicum præcipue Græcum excolebant, quod solo I O. C A P N I O N I S exemplo potest comprobari, qui Parisiis plurimam Philologiæ sacræ suppelletilem in Germaniam reportauit. L u c u l e n t i u s hoc Academiarum adminiculum adparebit, si ad Philologorum nomina & labores transfierimus.

## §. III.

Non sine legitima causa Bibliothecæ præcipue publicæ in subsidiis studii biblici a nobis habentur. Cum enim hoc studium non sola meditatione, sed sedula Philologorum, Exegetarum, Ascetarum tractatione & lectione absoluatur, non poterit idem institutum prospere succedere, nisi accedit librorum & Bibliothecarum penuarium, ex quo, quid alii feliciter pertraetauerint, potest cognosci, eorumquæ vestigiis insisti. Iam in lucem prodibant vna cum eruditis Bibliothecæ, quæ hueusque in Monasteriis puluere & blattis fuerant corrosæ. Illustriores tantum hoc libello enumera-bo. Oxoniensis bibliotheca fundata est anno 1332. auctore episcopo Durhamense R I C H. A N G E R V I L I O, laudabili litterarum & litteratorum Patrono. Quicum necessariam librorum suppelletilem cognosceret, in vsum iuentutis studiose domicilium publicum vna cum officina libraria & Bibliotheca condidit, quam suis omnibus libello quo-

quodam, cui nomen erat Philobiblus, commendarat. Hæc erat prima origo Oxoniensis Bibliothecæ, quæ sui similem nullibi habuisse dicitur, quæ plurimos in eruditis peregrinos in Angliam pellexit, vt viserent MSCta & Opera in Philologia, Theologia & Antiquitatibus S. S. pretiosissima. Heidelbergæ item Academiæ Bibliotheca comparari cœpta est multum tribuente ex priuata Bibliotheca GELNIUS primo in Academia Cancellario, MARSILIO AB INGEN primo Rectore, & MATTHÆO Episcopo Wormatiensi. Denique sub nomine Electoralis Bibliothecæ amplificauit eandem Elector LVD. BARBATVS, qui eandem adseruari volebat in æde S. Spiritus. PHILIPPVS postea Suasore RVD. AGRICOLA Polyhistore sui temporis multum auxit huius peniarii splendorem & pretium. Plurimum vero in ornanda Bibliotheca Palatina Elector OTTO HENRICVS, helluo, vt ait SPANHEMIVS, librorum, laborauit qui Oriente, Italia, Gallia aliisque regionibus, quicquid pretiosum esse poterat in republ. litteraria, magno sumtu & labore collegit. Et dolendum fane est, ingentem hunc Palatinatus & Germaniæ thesaurum superiori saeculo furore Gallorum vna cum Bibliotheca TANI GRUTTERI Romam transuolasse. Vaticana Bibliotheca originem suam refert ad tempora NICOL. V. Hic etenim Papa quoquoeversum dimisit eruditos, quos fouebat, alumnos, qui ex cœnobitis aliisque regionibus volumina egregia conquirerent, vnde factum, vt ultra III millia librorum comportarentur. Præcipue collegit Philologica opera, quod colligi potest ex nimio eius amore visendi Hebraicum Matthæi Euangeliū, quinques millia ducatorum, vt vocant, primo indici pollicitus. Memoranda est præterea Bibliotheca, quæ Budæ in

Hun.

Hungaria a MATTH. CORVINO ceterum tumultuario principe collecta erat, cum teste LOMEIERO, cuius Commentationem de Bibliothecis hic cuius commendamus, quinquagies mille libris ea constiterit. Vid. historiam in LAMBECKO Illustri Imperatoriae bibliothecæ custode. Piam sane curam suscepereat Card. BASSARIO, quem Chalcocondylas lib. 6. h[ab]it. τὴν ἐλλήνων τὰ καὶ Ρουμαίων σοφίαν σύδενος δεύτερον adpellat, cum Venetiis lautissimum librorum adparatum colligeret priuatis sumtibus, eique M. ANT. SABELLICVM Roma accitum lautissimo ornatum stipendio præficeret, eandem vero Bibliothecam rei Venetorum publicæ post obitum legaret, quæ in publico ædificio eam religiosissime adseruat. Neque vero hæ sunt omnes bibliothecæ ante Lutheri tempora insignes, cum ex vitiis eruditorum satis cognosci possit, post inuentam Typographiam omnes priuatos priuato comparasse sumtu libros, adeoque multo facilioriem in studiis expertos fuisse progressum. Cum vero sciamus arte Typographica optimæ notæ libros esse in vulgum editos, eiusque rei usum in Studio Biblico iam supra indicauerimus, quod adhuc lucidius in exemplo B. LV. THERI Part. sequenti exponetur, non est, quod hic sumus longiores.

### THESES III.

**N**on itaque miramur, in hac reipublicæ litterariæ παλιγγενεσίᾳ, in hoc Typographorum Academia rum & Bibliothecarum incremento Studium Biblicum Philologico - Exegeticum aliquo modo fuisse introductum, & iam ante B. LV. THER. V. qualescunque Biblici laboris primitias extitisse. Quod quidem ad Philologiam Sacram Græcam & Hebræam attinet, iam a saeculo

sæculo XIV eam maxima cura & ampliori successu ab eruditis (§. 1.) excultam cognouimus. Ipse Sacer Codex authenticus idiomate in publicum edebatur, ut adparet in Bibliis Complutensibus, & Veneta editione Græcæ versionis ALDI MANVTTI, quem plerique paullo post sequebantur. Eundem sacrum Codicem in Gallicam, Anglicanam, aliasque linguas verti constituerunt (§. 2.) aliquot melioris notæ Principes. Quam Philologiæ sacræ vicem eo accuratius cognoscemus, si Philologos (§. 3.) eorumque labores Philologico-Biblicos vterius in examen prouocemus. Ita fieri, ut præsentissimum surgentium passim Philologorum auxilium in Studio Biblico, simul vero nœuos hinc & inde obuios amice notemus. Proruperunt enim velut agmine facto in exercitio Linguarum OO. & Græcæ multi heroes, quorum dux haberi potest (§. 4.) REVCHLINVS, quorum omnium sub auspicio (vid. GOTTF. CARPZOV. Crit. Sacram p. 223.) linguae Hebrææ cultura adeo inualuit, vt omnem ludæorum ~~argillæ~~ multis parasangis superarit Christianorum industria.

## §. I.

Præcipue Sacra Philologia tractata fuit, & in usum iuuentutis studiosæ in Academiis, Romana, Parisiensi, Bononiensi, Oxoniensi, Salamantina acriter a doctoribus proposita, ut CLEMENTIS V. Constitutionibus, & desiderio universæ Europæ satisficeret. Quantum enim hic Papa & eruditorum Patronus iam supra Thes. I. Cap. II. a nobis laudatus, ad restitutionem OO. Lingg. contulerit, ex ipsis Constitutionibus CLEMENTIS Lib. V. Tit. I. adparebit, qui ita habet:

G

Hoc

*Hoc sacro adprobante Concilio, Scholas in subscriptarum linguarum generibus, ubicunque Romanam Curiam residere contigerit, nec non in Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi, & Salamanica Studiis prouidimus erigendas. Statuentes, ut in quolibet locorum teneantur viri Catholici, sufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ & Chaldaicæ linguae notitiam, duo videlicet uniuscuiusque linguae periti, qui scholas regant, & libros de linguis ipsis in Latinum transferant.* Piam vero huius Pontificis in restauranda Philologia S. curam non irritam docet Academia Parisiensis & Oxoniensis. IOHANNIS enim xxii. epistola ad Cardinalem Legatum, qui Parisis in aula CAROLI Pulcri viuebat ao. 1325. data clare ostendit, OO. Lingg. Professores fuisse ibi vigilantissimos. Quod idem de Oxoniensi schola iudicamus, si annales eiusd. corfuerimus. Vide plura de his Philologiae sacrae vicibus Celeb. DN. D. LOESCHERVM de Causis Linguæ Hebr. C. IX. p. 106. seqq. SEBAST. MVNSTERV M in epistola Nuncupatoria Grammaticæ præmissa. HERM. AB HARDT in Prodromo Ephemeridum Philologicarum.

### §. II.

Versionem Sacri Codicis Gallicam promouit rex Galliarum laudatissimus CAROLVS V. qui NICOL. ORESMIV M olim morum præceptorem, nunc vero doctorem Parisiensem ad hoc munus aptissimum euocabat. Hic enim Theologus profundæ eruditionis non in vertendis tantum operibus Aristotelicis occupatus erat, sed felici successu universa Biblia in Gallicam dialectum transmutauit, quo ex conatu laudabili Episcopen Lexouiensem a rege suo est adeptus. Hic ORESMIVS populum ad Sacros Bibliorum fontes reuocaturus, nihil eorum est reueritus, teste LAVNOIO in

in Hist. Coll. Nuarreni T. II. C. I. p. 461., quæ ὁΨιαθῆς homines Gallicæ Bibliorum interpretationi cuiuslibet, siue accurate sit, siue non sit, parum prudenter obiiciunt. Neque profecto repertum est, Theologiae Parisiensis Facultatem, quæ tunc in orbe toto colebatur, huic operi restituisse. Paullo vero post: *Biblia* passim, inquit, in variis Gallia Bibliothecis curiose adseruari. Quod ad versionem Anglicanam attinet, hoc loco potissimum sermo est de labore biblico IO. WICLEFI, Doctoris in Anglia Celeberrimi, qui, licet ex vulgata HIERONIMI Stridonensis versione, Sacrum Codicem in Dialectum Anglicanam converterit, nihilosecius hanc ob causam laudandus est, cum ipse scripturarum peritia insignis esset, aliosque in studio Biblico exercitatores esse vellet. Et quamvis temporibus LVTHERI, ANNA BOLENIA, vxor R. HENRICI VIII accuratiorem Bibliorum Metaphrasin procurauerit; nihil tamen secius opus hoc WICLEFI, protum tempora erant, magni aestimandum erat in refuscitando Sacro Codice, qui a Papa submersus, & orbe christiano depulsus erat. Fatale sane erat, & prouidentia Reformatrice dignum, BRIGITTAM, Principem Scandinauia oriundam sanctimonia vitæ Illustrem fæminam, Biblia in lingua Gothicam verti constituisse, adeoque Septentrionalibus gentibus fontes iuris iuris & Euangelici obtulisse. De versionibus Germanicis earumque nœuis vide sis IO. FRID. MAYERVM in hist. Versionis Biblicæ LVTHERI.

## §. III.

Singulatim hic indicabimus Philologos, eorumque labores, qui ad παλιγγενεσίν Græcæ ac Hebraicæ linguarum multum contulerunt, præsertim ea commemoraturi opera,

G 2

quæ

quæ ad vindicandum sacrum Codicem & renasciturum Studium Biblicum referenda sunt. Occurrit itaque tamquam Musageta in turba Philologorum MANVEL CHRYSOLO-  
RAS, Byzantinus nobilissima prosapia oriundus, qui primus Græcam linguam in Occidente felicissime docuit, quæ se-  
ptingentis fere annis penitus in Europæis regionibus exula-  
uerat. Docuit vero passim in Italia, Venetiis, Florentiæ, Ro-  
mæ, Ticini, alibi, acerrimos vbique officinæ suæ Græcæ alu-  
mnos expertus, in quibus primarii sunt ARETINVS, PHI-  
LELPHVS, POGGIUS, GVARINVS, PEROTTVS. Conci-  
lio Constantiensi interfuturus ibidem 1414. obiit, nactus  
Epitaphium a Poeta Laureato ÆNEA SYLVIO, postea Pa-  
pa PIO II.

*Ille ego, qui Latium Graias imitarier artes  
Explosis docui sermonum ambagibus, & qui  
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis  
In lucem retuli, CHRYSOLORAS nomine notus  
Hic sum post vitam, peregrina sede quiesco.*

In exponendis publice autoribus Græcis, DEMOSTHENE,  
XENOPHONTE, Patribus Eccl. summam nauauit operam.  
Præcipue vero in scriptis ad Philologiam pertinentibus ha-  
bendæ sunt Quæstiones grammaticales, quæ in primis sunt  
post renatas litteras. FRANC. PHILELPHVS, Italus gene-  
re strenuus erat EMAN. CHRYSOLORÆ adsecla, cuius  
filiam Constantinopoli duxerat. Redux in Italiam Græca  
docuit Venetiis, Romæ, Mediolani, Bononiæ. Notantur hic  
a nobis epistolæ Græco eoque eleganti idiomate conscriptæ.  
GEORG. TRAPEZVNTIVS Cres, cum domi in studiis dili-  
genter esset versatus, peregrinatus est in Italianam, & Ro-  
mæ eloquentiam Græcam vna cum litteris humanio-  
ribus

ribus iuuentuti prælegit. Qua ex re tantum Papæ & Curia Romanæ probatus fuit, vt ab EVGENIO IV. in aulam a Secretis euocaretur. Post obitum EVGENII docuit Neapoli, interie<sup>c</sup>to quodam temporis spatio Romam redditus. Ex operibus hoc loco obseruamus, de VIII partibus orationis Compendium Augustæ 1537. Rhetoricorum Libb. V. Parisis 1538. Ad Metaphraſticos TRAPEZVNTI la- bores refertur Versio aliquot opusculorum CYRILLI; EV- SEBIVS de Præparatione Euangelica Libb. XIV. ARISTO- TELIS Rhetorica lib. III. Venet. 1560. &c. IANOTIVS MANETTUS, Senator Florentinus, principio Philosophiæ neglecto, ad Studium Biblicalum, idque Philologicum se con- tulit, quod eo facilius erat, cum a CHRYSOLORA aliisque in linguis orientalibus esset eruditus. Propter summam eruditionis gloriam a Papa NICOLAO V. magni æstima- tus, saepe nomine legati Pontificii peregrinatus est. La- bores huius viri Philologici eo maioris pretii sunt, quo sunt excellentiores. E fonte Hebræo, quem tum temporis ne- mo fere sapiebat, Psalterium Dauidicum cum magna V. T. parte in Latinam linguam feliciter vertit, itemque ex Græco idiomate libros noui Testamenti transtulit. THEOD. GAZA, Presbyter Thessalonicensis post expugnatam Constantinopolim transuolauit in Italiam, ibique Græcas pariter ac Latinas litteras docuit. Ad Philogiam refertur Versio Hist. Ani- mal. ARISTOTELIS, & Aphorismorum HIPPOCRATIS. De BESSARIONE, Episcopo Niceno, postea Occidentalis Ecclesiæ Cardinale & legato Bononiensi supra iam hinc & inde pauca interspersimus. Supereft itaque, vt hic loci in- dicemus, quod in restauranda Græca lingua fuerit sollicitus, quod conquisuerit vndiquaque opera Græca antiquorum,

G 3

quod

quod fouverit Græcos exsules vna cum eorum alumnis , & ipse occupatus fuerit in translatione libb. XIV. Metaphysicorum ARISTOTELIS , & vnius Metaphysicorum THEOPHRASTI , quæ prodiit Venet. 1503. 1516. NIC. PEROTTVS , BESSARIONIS Secretarius, propter eximiam POLYBII Metaphrasin est notandus, quam iussu NIC. V. Pontificis elaborauit. CONSTANTINVS LASCARIS , teste SPANHEMIO , Hist. Eccl. p. 1877. nobilitate generis & Grammaticis disciplinis celebris fuit post captam urbem. In tot tamque egregiis Philologorum laboribus non poterat non meliorem inducere faciem studium Græcæ linguæ. Neque mirum videri debet cuiquam, post tot iejuna & incomta sæcula , iam demum in Patrum operibus & Nouo Testamento explicando melius in Academiis rem processisse. Idem erat momentum in Studio Hebraico , in quo multi magni viri non solum contra Iudæos & Saracenos, vt videri volebant, sed contra dominium Romanæ Curiæ fortiter & masculine desudabant. Primo quidem occurrit in Restauratoribus Hebrææ linguæ RAYMVNDVS DES MARTINS , Catalaunus Monachus prædicatorum celebrissimus , qui raro exemplo callentissimus erat Hebrææ & Arabicæ linguæ. Patrocinio felici vtebatur IACOBI R. Arragoniæ, cuius iussu libros ad Studium Hebraicum pertinentes & in iis Iudæorum Volumina huc vsque solis Iudæis cognita in lucem edidit, magnum nomen sibi Polemico & Philologico contra Iudæos scripto quæsiturus, quod adpellatur *Pugio fidei*, quod opus deinde Presbyter Burdegalensis IAQVES le VOISIN Hebræarum litterarum optimus Doctor Parisis edidit 1651. fol. Recentiori tempore idem fecit BENED. CARPZOVIVS Lipsiensium Prof. præfatione sive

In-

Introductione præmissa de Theologia Iudaica. IO. PICVS MIRANDVLANVS illustriss. proflapia excellens, multo vero excellentior portentosa eruditione, qua factum est, ut Itali eum *Phœnicem sui seculi, Scaliger Monstrum sine vitio* adpellauerit. Cum enim præcoci esset ingenio, iam cum puer esset, vel, ut verbis HENR. WHARTONI utar, sub ferula, integer erat Philosophus & Theologus. Ius Pontificium s. Canonicum didicit Bononiæ, deinde illustriores Galliæ & Italiae Academias perlustrans, Romæ redux de omnibus disciplinis abstrusissima etiam Kabbala 900 thesibus non sine singulari stupore auditorum contra ignorantiam Monachorum disputauit. Præter scientias sublimiores Theologiam, Philosophiam, Iurisprudentiam, & in humanioribus, ut vocant, studiis ita profecerat, ut vix sui similem tum temporis habuerit. De qua PICI elegantiori scientia iudicat ERASMVS in Ciceronian. *Indoles (Pici) plane diuina, & ingenium ad omnia factum.* Hinc princeps vere in Philologorum cohorte habendus, cum in Italia primus fuerit, qui præter nitem Latinæ Eloquentiæ in Lingg. Græca, Hebraica, & Arabica huc usque non auditis versatissimus erat. Et dolemus merito, insignem hunc virum tamdiu inhaesisse rixis disputationis, & quisquiliis Kabbalisticis. Quid vero in Philologia sacra sive Biblica præstiterit, ipsis WHARTONI verbis indicabo Append. ad CAVE Hist. Litt. Script. Eccl. p. 136. *Prouectior, ait, ætate factus Mirandulanus ingentem disputationi pruritum odio habere cœpit, & misso Philosophia & externarum arrium cultu, castiori Theologie totus incubuit; sacros Codices diligenter peruvoluit; versiones Latinam & Græcam cum Hæbraicis fontibus sedulo contulit; Christianæ religionis veritatem aduersus Iudeos & Christianos tutandam suscepit.* In

In operibus huius horois philologici ab ipso nepote & hærede IO. FRANC. PICO in vita patris enarratis notantur potissimum 1. *Liber de veritate translationis Hieronymi aduersus Hebræorum columnias.* 2. *Defensio LXX Interpretum, quantum ad Psalmos attinet contra eosdem.* 3. *Commentaria Philologico-Exegetica in Nou. Test.* IO. WESSELVS HERMANNI Lux Mundi propter insignem eruditionis adparatum cognominatus, natus est in Frisia prope Groningam, summaque semper familiaritate RVD. AGRICOLÆ conterrani vñus est. Postquam domi & Parisiis sua nativa ingenii felicitate ad summum Philologicæ & Theologicæ eruditionis cacumen euolasse vñus erat, Græca, Hebræa, Latina Parisiis, Heidelbergæ, Basileæ, (vbi in auditoribus erat Capnio) in summa auditorum frequentia docuit, plane & perspicue Codicem Sacrum ex fontibus Græcis & Hebræis prælegens. Cæterum, quod ex cognitione S. Scripturæ superstitiones Papatus agnouerit, quod candidioris Theologiæ Doctor veritatisque defensor fuerit, adeoque habendus sit inter Lutheros ante Lutherum, ex ipsius LVTHERI præfatione operibus WESSELII Basileæ 1525. 4to editis præmissa adparebit, in qua per omnia secum conspirare WESSELVM, seque multa ex eodem hausisse profitetur. RVD. AGRICOLA, Frisius in Gymnasio Groningensi & Louaniensi fundamenta scientiarum iecit, & postea contendit in Italiam, Ferrariæ THEOD. GAZAM auditurus in Græcis, cuius voti compos factus est. In patriam reuersus, patriæ, vt par erat, se totum tradebat, & sub nomine Syndici salutem reipublicæ Groningensis MAXIM. I Imp. commendauit, qua legatione non sine summa laude absoluta, Groninga euocabatur Antwerpian ad scho-  
las rite ordinandas, sed plus poterat Wormatiensium Episco-  
pus

pus DALBURGIVS & WESSELVS Doctor Heidelbergensis.  
 Quod itaque reliquum erat vitæ, docuit Wormatiæ & Heidelbergæ, vbi summo Electoris Palatini PHILIPPI patroci-  
 nio, & famiaritate conterranei sui WESSELI vtebatur. Per  
 triennium docuit ardentissime in Græcis & Hebraicis, mul-  
 tumque fecit ad renouandum Sacri Codicis honorem. Quod  
 in Philologia strenue versatus sit, ostendit obitus, qui in la-  
 bore Metaphraستico operum DIONYSII AREOPAGITÆ  
 contigit 1485. Tumulum ei posuit HERMOL. BARBARVS,  
 parentationis iusta soluit CAPNIO. Cæterum ad Philologi-  
 ca eius opera pertinet, 1. *Versio Progymnasmatum Apþthonii.*  
 2. *Prisciani Cæsariensis Præexercitamenta in Latinum trans-  
 lata.* 3. *Epistola de studio formando, quæ vna cum Versioni-  
 bus Isocratis, Luciani, Platonis in Opp. Coloniae 1531 editis, ex-  
 stat.* FRANCISCVS XIMENIVS, Hispanus, Romanæ  
 Eccl. Cardinalis, tandem Archiepiscopus Toletanus & Re-  
 gni Archi-Cancellarius non omittendus erit a nobis in recen-  
 fendi Philologis, cum ad SS. linguarum restitutionem tan-  
 tum fere solus fecerit, quantum cæteri omnes. Hic cum  
 iuuenis elegantiores litteras Compluti, Theologiam vero,  
 Philosophiam, & ius Pontificium in Academia Salmantina so-  
 lide edidicisset, sedes Italorum doctas visitauit, & redux in  
 patriam singulari eruditione & solitaria vita permouit Castel-  
 lœ reginam ISABELLAM, vt eum sibi a Confessionibus &  
 Concionibus esse decerneret. Sed siebat paullo post, vt de-  
 functo Archiepiscopo MENDOZIO Toletano, cuius vices  
 iam dudum sustinuerat, succederet 1495. adeoque habere-  
 tur Regni Hispanici primas & Archi-Cancellarius. Tantis  
 muneribus, tanta dignitati addidit deinde IVLIVS II Pon-  
 tifex Romanus Episcopi Cardinalis fasces egregios. Obiit

H

Vir

Vir vere magnus, & renascendæ Philologiæ S. natus, VI Id. Nouembris 1517. Supereft, vt nunc paucis magnum illud & laudabile XIMENII opus, quo Philologiam, Theologiam & proxime instantem Reformationem felicissime iuuit, breuiter indicemus. Sunt nimurum *Biblia vulgo Complutensia*, quæ magno labore & sumtu huius Mæcenatis ab anno 1502-1515. alii 1517 Compluti triplici lingua Hebraica, Chaldaica, Græca additis versionibus Latina Vulgata & accurriori prodierunt. Docet ALVARVS GOMESIVS in *Vita Ximenii*, conquisuisse eum multo ore Codices Hebreos aliquor Mſtos, præcipue ex bibliotheca Vaticana, quibus rite inter ſe comparatis & ad Masoram examinatis *Textus Originalis*, a variis, qui buc usque propter ignorantiam ſæculi irrepferant, næuis repurgari posset. Et cum coniunctæ vires in tanto labore non modo profint, ſed neceſſario etiam requirantur, multo ſtipendio cum concitaffe ad repurganda biblia viros aliquot Linguarum Orientalium callentiffimos, idem enarrat Gomesius. In his fuerunt ANTONIVS NEBRISSENSIS, DEMETRIVS DVCAS, ALPHONSVS de ZAMORA, CORONELLVS, ALPHONSVS Medicus Complutensis, PINCIANVS, IO. de VERGERA, Prof. Salmanticensis, DEMETRIVS Cretenſis, LAPIS ASTVNIGA, & aliquot ex gente Iudæorum conuersi Christiani. Hinc factum est, vt cum opus 1515 in publicum prodiret, 50000 aureorum expenſam ſe feciffe intelligeret XI MENIVS. Qua ratione Sacer textus ordinatus fit vna cum Versionibus Vulgata, & accurriori DEMETRII, PINCIANI, ASTVNIGÆ, VERGERÆ vide, ſi placet in *Critica Sacra*. Prof. CARPZOVII p. 389. Addo hic tantum iudicium eiusdem CARPZOVII, quod de tanto labore adiunxit. Cæterum haud infimum, inquit, inter Prodromos Reformatio-  
nis

nis hoc opus (*Biblia Complutensia*) tueri locum, viri docti usque crediderunt, & insigni Numinis beneficio factum, ut fontium sacrorum, tot hactenus faculis neglectorum, haberi cura inciperet. ANTONIUS Nebrisensis ex Hispania Bætica in patria artium & linguarum elementa hauisit, quæ deinde Salmanticæ & in Academiis Italorum amplificauit, summam Theologie, Philologicæ, Iurisprudentiæ atque linguarum, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ notitiam nactus. Hinc factum est, vt iussu FONSECA episcopi Hispalensis in patriam reuocatus, primus elegantiores litteras & Philologiam sanctam, quæ Arabum & Saracenorum armis hucusque penitus torpuerant, strenue Hispali doceret. Deinde, cum Cardinale XIMENIO in egregia Complutensium Bibliorum editione ubique subueniret, factum est, vt Academiacæ Complutensis primus Professor constitueretur, ibique prælectionibus & scriptis Philologicis iuuentutem Hispaniæ studiosam erudiret. In operibus vero ANTONII Philologicis habentur merito: 1. *Quinquaginta locorum S. Scripture non vulgariter enarratorum Quæstiones Biblicæ* Basil. 1543. Londini 1660. 2. *Scholia in Segmenta ex epp. S. Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, nec non & Prophetas, quæ in re diuina leguntur per totum annum.* Granatae 1545. Alia Nebrisensis Opera Philologica, quæ pleraque typis nondum sunt impressa, vid. in Bibliotheca Hisp. Tom. I. p. 107. ALPHONSVS de ZAMORA itidem gente Hispanus, genere Iudeus, a qua religione deinde transiit ad partes Christianorum. Cum Iudeus inter Iudeos esset, in Synagogis eorum & Scholis non sine magno vnu docuit, sed sacris Christianorum initiatius, per quindecim annos in labore Complutensium Bibliorum versatus est, ad quod munus a XIMENIO largo quodam stipendio consti-

tutus erat. Cæterum sunt opera eius in Philologia Sacra elegantiora: 1. *Vocabularium Hebraico-Chaldaicum Vet. Test.* 2. *Interpretationes Vocabulorum Hebræorum, Chaldaeorum, Græcorum utriusque Testamenti.* 3. *Catalogus eorum, quæ in utroque Testamento aliter scripta sunt virtio Scriptorum, quam in Hebræo & Græco, aliisque antiquis Bibliis.* 4. *Introductio Grammaticæ Hebrææ, quæ Bibliis Complutensibus in fine addita est.* 5. *Tractatus de Orthographia Hebræa, scđe punctis.* 6. *Epistola Hebraica ad Hebræos Romæ viuentes ad reprehendendum eos in sua pertinacia.*

§. IV.

REVCHLINI vitam & scripta paullo curatius & verbosius expendere non erit inconsultum, cum hic Germaniae nostræ eruditæ dux & tuba in debellanda Papatus ignorantia & superstitione fuerit. Natus erat Pförtzheimi in Marchionatu Badensi an. 1454. vbi pueritiam in summa egestate transigebat, tandem vero propter insigne ingenium ingenuosque mores in aulam Marchionis recipiebatur, adeoque fiebat, vt vix dum iuuenis iuueni Marchionis principi Parisios profecturo comes daretur, ibique cæteris studiis paullo negligenter tractatis ab HERONIMO SPARTIATA Græcam linguam solidissime addisceret. Ipse REVCHLINVS in Præfat. Lib. III. Rudim. Hebraicorum testatur, se Parisiis ab HERON. SPARTIATA; Romæ ab ARGYROPILO Byzantio, Florentiae ac Mediolani a DEMETRIO CHALCONDYL A linguam Græcam frustillatim & quasi micas de Domini mensa cadentes, accepisse. Redux ex Gallia infinito discendi desiderio se contulit Basileam doctus ibi a WESSELO Groningenfi, & ANTONIO CONTOBLACA Græco, deinde ipse Basileæ Magister Philosophiæ linguas doctu-

eturus. Ab eodem WESSELO, cum necessariam philosophiæ & linguarum cognitionem, præcipue Hebrææ linguæ rudimenta percepisset, seniora Theologiae principia hausit, & capita Religionis Christianae controuersa. Hortabatur eum WESSELVS, vt, cum mediocrem Graecarum litterarum peritiam acquisiuit, iisdem plenius cognoscendis operam daret, quia Bibliotheca publica Basileensis opera Cardinalis C V S A N I eo transportata plurimum in Philologia iuare poterat. REVCHLINVS autem, Graeco nomine CAPNIO, quod tum temporis Graecæ linguae amore inter eruditos obseruabatur, & ab HERM. BARBARO ipsi iniunctum fuerat, Iurisprudentiam exculturus in Galliam secessit, informatione priuata vitam peregrinam sustentans, neque ita multo post Aureliae iura & honores Doctoris in Caesareo Iure est adeptus. Redux in Sueiam a Würtembergensi Comite EBERHARDO magni est habitus, & in aulam accitus, in qua ita vixit, vt paullo post legationis munus ad Imper. FRID. III in ipsum conferret EBERHARDVS, & ab Imperatore honorem Comitis Palatini tum nondum ita vulgarem obtineret. In hac eadem legatione multum operae impendit Studio Hebraico, in quo Medicus Caesareus Ex-Iudaeus IEHIEL LOANS fortiter adiuuabat, & quod pretiosissimum erat, munus Codicis Hebraei ex Bibliotheca Imperatoria huic Hebraeophilo procurabat. Obitus EBERHARDI Würtembergensis vicem inferebat fatis REVCHLINI, & Monachi cuiusdam, qui apud Principem plurimum potuerat, insidiis exponebat, ita vt Heidelbergam nobile illud renatae Philologiae domicilium & ad PHILIPPVM magnum Palatinatus Maecenatem contenderet, ibique tum in aula tum Academia esset exspectabilis. Immo vero tantus REVCHLINO in aula Palatina honos erat, vt in re

matrimonii Electoralis legatus Romam mitteretur, dispensationem a Papa ALEXANDRO VI petiturus. Cum propter negotia publica Romae per totum annum commorandum esset, refugere ad studia Philologica huic heroi & helluoni eruditioris orbis erat iucundum. In Hebreæ lingua audiuit Iudeum quendam ABDIAM exactissimum Hebreæ linguae Magistrum, ita eius informatione vñus, vt ipsiā tum Romæ Hebreice docere & praelegere cum summa laude posset. Vnde neque miramur, Minerual aurei in singulas horas se præceptoris ABDIÆ concessisse. In Græcis interfuit prælectiōnibus ARGYROPILI publicis, qui tum temporis alter in Italis erat Homerus & Demosthenes, ad quem viri Excellentes & Cardinales Eminentissimi discendi cauſa confluebant. REVCHLINVS, cum magna pompa, & magnifico comitatu introisset auditorium, mutua facta salutatione, ab ARGYROPILO interrogatus est, num Græcam calleret linguam. Quod cum affirmaret, rogatus est, vt publice in tot hominum consensu prælegeret & interpretaretur. Fecit id CAPNIO elegantissime & delicate secundum genium Græci sermonis, ita, vt ARGYROPILVS lamentabundus exclamaret: *Gracia iam Alpes transvolavit.* Vere id quidem. Græcae enim litteræ non adhuc finibus Italæ contineri poterant, sed iam transibant ad horridiores nationes. REVCHLINVS re confecta cum domum rediisset, Tubingam remigravit, dehinc Ingolstadium, tandem Stutgardiam, vbi ann. 1522. ann. æt. 67. diem obiit supremum. De lite eius philologica cum Monachis insipidis vide verba WARTONI in App. CAVEANA p. 143. Factum id frementibus Monachis & Theologis Scholasticis, qui ex reuocatis linguarum scientia & elegantiæ studio nodosæ suæ ac barbaræ Theologie ruinam facile augu-

augurati sunt. Duce igitur Io. Hochstrato . . . Cucullarii  
 Gregis malitiam & perulantiam acerrimis Satyris vltus est  
 Reuchlinus, imprimis edito Obscurorum Virorum Epistolarum  
 volumine, quo ridiculus Monachorum & Scholasticorum Latine  
 sribentium stylus exprimitur, quo Hochstratus ita sauci-  
 atus est, vt herbali dolore percussus interierit. . . . Quan-  
 tum autoritate sua & eruditione inter Principes valuerit, te-  
 stantur exempla Imp. FRID. ALEXANDRI VI. Papæ, EBER-  
 HARDI Würtembergici, PHILIPPI Palatini, FREDERICI  
 Principis Saxoniæ, qui quantum tribuerit Reuchlino, adparet  
 ex epistola quadam SPALATINI ad REVCHLINVM: Pro  
 magno, inquit, beneficio habiturus est Princeps noster, si ex  
 autoribus suis eruditissimis ad Saxoniam & Saxones perinen-  
 tia collegeris. Tuum enim iudicium Princeps Sapientissimus  
 plurimi faciens mibi commisit, ut ad Te id ipsum scriberem.  
 Nemo etiam erat in Viris, qui tum pauci erant, candidiori-  
 bus, quin auxiliatricem reformationis prouidentiam in  
 REVCHLINO accurate cognoscerent. Ad DESID. ERAS-  
 MVM quod attinet, cætera parcum in laudando, nouimus  
 eum magni habuisse REVCHLINVM, vti iudicatur ex Præf.  
 ad Epist. Hieronymi LEONI X Papæ 1515. dicata. Ioan-  
 nes, inquit, Reuchlinus Phorcensis, trium linguarum, Græca, Hebræa, Latinæ pâne ex aequo peritus, ad hæc in nullo doctrinæ genere non versatus, ita vt cum primis certare posset; unde merito virum hunc ceu Phœnicem tota suscipit & veneratur Germania. Quod vero B. LVTHERV opem & auxilia  
 REVCHLINI in reformanda Ecclesia præcipue ad remouen-  
 da sophismata & stratagemata Papatus, & retiocanda S. Scri-  
 pturæ præmia, bene agnoverit, satis colliget L. B. ex aliquot  
 LVTHERI locis a me recensendis. Præcipue huc faciunt  
 duae

duæ ad SPALATINVM litteræ lib.I. 4. 6. in quibus REVCHLINI aduersarios & in iis ORTVINVM GRATIVM acerri-  
me, vt meruerat, perstringit, REVCHLINVM ab iniuria hæ-  
resiopocetarum masculine vindicat. In priori: Haec tenus, in-  
quit, Ortuinum istum Colonensem poetam asinum existima-  
ui: sed vides, quia canis factus est, immo lupus rapax in ve-  
stimentis ouium, si non potius Crocodilus. Innocentissimi Cap-  
nionis verba & sensus vitiat per omnem temeritatem, sed vt  
scriptura dicit: Aggrauat contra se ipsum densum lutum.  
In posteriori: Plenum est scribit, cor meum barum cogita-  
tionum magis, quam lingua dicere potest. Confido Dominum  
fore veracem etiam inuitis & frustra sudantibus mille millibus  
Colonensibus. Ipsius LVTHERI epistola ad REVCHLINVM  
est candidissima & merita huius Philologo-Theologi aper-  
te exponit. Exstat ea in Lib. II. epistolarum ad REVCHLI-  
NV M, & meretur hoc loco adiungi. (\*) Restat, vt labo-  
bores & Scripta REVCHLINI potiora indicemus: 1) De  
arte

(\*) Dominus tecum, Vir fortissime, Gratulor misericordiae Dei,  
qua in Te est, Vir eruditissime & humanissime, qua tandem praœ-  
lufisti obstruere os loquentium iniqua. Fuijsti sane Tu organum diuini  
Consilii, sicut tibi ipsi incognitum, ita omnibus puræ Theologie studi-  
osis exspectatiissimum: adeo longe alia siebant a Deo, alia geri videban-  
tur a vobis. Inuadunt dentes istius Behemoth me: si quo modo sar-  
cire queans ignominiam, quam retulerunt ex Te. Occurro & ego ipsis  
longe quidem minoribus ingenii & eruditissimis viribus, quam Tu oc-  
curristi & prostrauisti, sed non minore animi fiducia. Congredi mibi  
deterrant, respondere recusant, sed mera vi & violencia in me viam  
adfectant. Vixit vero Christus: & ego perdere nil possum quia nihil  
habeo. Fracta sunt in Tua firmitate non parum quidem cornua ho-  
rum taurorum. Hoc enim in Te agit Dominus, ut tyrannus Sophista-  
rum aliquando & tardius & mitius veris Theologie Studiis resisteret,  
ac resprire inciperet in Germania scripturae S. doctrina tot heu! an-  
norum centenariis non tam oppressa quam extincta. Witemb. altera  
die Lucie anno 1518.

*arte Cabballistica lib. III.*, cuius nimius amator cum Pico Mirandulano erat Reuchlinus, Leoni X. dicata, Francof. 1612.  
 2) *De verbo mirifico lib. III. s. Philosophia Græca, Hebræa & Christianæ Secreta. Venet. 1486.* 3) *Psalmorum VII pænitentialium ex Hebraico idiomate Versio cum succincta Exegeſi eorumdem. Tubingæ 1512.* 4) *Defensio contra calumniatores Colonienses. Colon. 1518.*  
 6) *Lexicon Hebraicum & in Grammat. Hebr. Commentarius, præcipius & laudatissimus Capnionis labor. Basil. 1537.* 7) *Linguæ Hebræa Rudimenta. Phorœ 1506.* 8) *Epistolæ obscurorum Virorum lib. II. Francof. 1624.* 9) *De accentibus & Orthogra. Hebræa ad Cardinalem Hadrianum.* Plura addi possent, sed ex his iam satis adparet, quantum in restituenda lingua S. & Codice Sacro laborauerit hicce Germaniæ nostræ Phœbus & Phœnix. Hinc neque miramur, quod CAPNIO a Monachis aliisque Pontificiæ Hierarchiæ fautoribns toties & tamdiu vexatus, summo cum animo tanta incommoda adierit, adeoque in via veritatis firmiter defendenda LVTHERO aliisque bonæ notæ viris præluserit. Sed satis de hoc.

## THESES IV.

NEque vero Philologia S. solum paullatim in meliorem faciem ascendebat, sed ipsa genuina Theologia, quod necessarium erat, maiora in dies capiebat incrementa. Cum enim Sacer Codex ab iniuitate temporum, & Pontificum Romanorum effet vindicatus, Theologia, quæ semper ad principium Reuelationis examinanda est, melius excoli, & sincerius explanari poterat. Ad Theologiam Theoreticam s. Dogmaticam quod attinet, iam errores (§. I.) crassi in ar-

I articu-

ticulis fidei sedulo remouebantur, & S. Scripturæ (§.2.) autoritas in candidis Theologis plus quam Papa & Concilium valebat. In Theologia (§.3.) Morali s. Pragmatica ea, quæ ex Ethica Aristotelis & superstitionis Pontificiæ Ecclesiæ traditione immixta vbiue erant, caute discernebantur, atque ex solo sacro Codice, quid æquum & iniquum, quid bonum & malum sit in Religione Christiana demonstrabatur. Theologia (§.4.) exegetica, quæ huc usque stratagematis & multiplici Scholasticorum sensu distorta & inquinata fuerat, iam ad sensum genuinum secundum principia senioris Hermeneuticæ reuocabatur. Theologia (§.5.) Ascetica loca Scripturæ rite explicata viuide applicabat in salutem vulgi insciæ atque vagabundi. Theologia Polemica cum Iudeis, Muhammadanis & externis gentibus satis acriter exercebatur iam mediis temporibus; sed Polemica Theologiae contra Romanensem Hierarchiam nullum fere erat nomen, cujus pauci essent, qui cum periculo sui capitis controversiis se immiscerent Ecclesiæ ciuilibus. Immo in ipsis (§.6.) orationibus sacris siue Homiliis hinc & inde noua & salubrior methodus est obseruata.

### §. I.

Vniuersa fere Theologia Dogm. immensis erroribus defedata erat, ita tamen, vt articuli de peccato, de libero arbitrio, iustificatione, bonis operibus, Sacramento Cœnæ, Ecclesia, Statu ecclesiastico plane erroribus corrupti essent. Quibus se hinc & inde aliquot Doctores acriter opposuerunt, & meliori doctrina Theologiam Dogmaticam aliqua ex parte sanarunt. Non enim vbiue idem potuerunt

runt doctores efficere, & filere plurimis erat consultius, cum Anathematibus & viuicomburiis omnes fere, qui contra errores Papatus pestiferos hiscerent, morte multandi essent. Immo vero hinc merito **LVTHERV M** pro primario Theologiae Dogmaticæ Instauratore haberi posse arbitror, propterea quod publice & bono cum successu locos Theologicos ad examen S. Scripturæ reuocatos promulgauit. In articulo de libero arbitrio melius sentiebat, quam Scholasticorum cohortes Nominales & Reales, **GEORGIVS RIMINENSIS**, Doct. Theologiae Parisiensis, qui seruum idem esse in rebus fidei æternæque Salutis rite ex sacra Script. adseuerauit. (vid. Catal. test. veritatis lib. XVIII. p. 805.) **THOMAS BRADWARDINVS**, Anglus natione, natus Hatfeldiae in agro Suffolensi Doctor in Collegio Oxoniensi scripsit lib. III. *De causa Dei & de veritate Causarum contra Pelagium*, quos publice in Oxoniensi Academia iuuentuti prælegit & de lib. arbitrio rectius sentire docuit. In aliis: *Bone Deus*, inquit, *quot tandem nostris temporibus homines Pelagianismum sequuntur, gratiam, quæ Dei est, deturbaturi, quibus tamen Apostolus Paulus strenuissimus diuinæ gratiæ defensor aduersorur.* Abhorret ætas nostra a Dei libera gratia, & libero arbitrio mentisque viribus saluari se posse præpostere aurumat, nihil dicitura, quam: *Faceste a nobis, Deus &c.* Prof. Vindobonensis **HENR. DE OITA** docuit peccare unumquemque extra Dei gratiam etiam in optimis operibus, quod videmus ex Catal. test. verit. p. 801. Lib. XVIII., in quo propositiones eæ, quæ Constitutionibus Curiae Papalis parum placuerunt, sunt collectæ. Notum enim est, etiam hunc, cum saniora in Theologiam dogmata contra Paparum voluntatem importaret, vix hære-

seos notam effugere potuisse. Eandem de Iustificatione fuit sententiam IO. GOCHIVS PUPPERVS, Belga, WESSELI Groningenensis supra laudati familiarissimus. Præcipue in tractatu duplici *de Fide & Gracia* articulum iustificationis & bonorum a crassis erroribus feliciter repurgauit. Doctrina de S. Cœna, quam acriter fuerit propugnata a IO. HVS-  
SO eiusque adseclis patet ex historia Controversiae Hussiti-  
cæ. Ecclesiam & Concilia Ecclesiæ supra Papam esse, optimè exposuerunt FRANC. PETRARCHA, & iussu Imp.  
LVD. BAVARI, GVIL. OCCAMVS. Quid plura? Omnes  
veritatis testes, quos supra Cap. I enumerauimus, Hierarchiam Anti-Christi Romani, Traditiones, meritum operum bonorum, purgatorium, Missam s. Sacrificium pro mortuis, I-  
conolatriam, Hagiolatriam, Confessionem, ut vocant, auricularem, Transubstantiationem, Indulgentias improbando,  
plurimum ad puritatem doctrinæ & saniora Theologiæ dogmaticæ principia contulerunt. Monendus est enim Lector Benevolus, scripta hic Dogmatico-Polemica fere semper occurrere, cum in veritate defendenda Theologicorum dogmatum contra mendaces Monachos & Papas simul esset doctrina Christiana defendenda. Ipsa enim natura Theol. Dogmaticæ & Polemica ita inter se inuicem iuncta est, vt vix a se discerni queat. Inde etiam fit, vt modernis temporibus pleraque nostrantium Theologorum Systemata Dogmatica s. Thetica vna Antithetica pertractent, adeoque doctrinam propositam contra insultus aduersariorum simul stabiliant. Scripta potiora Theologiæ Dogmaticæ, quæ paullo ante LVTHERVUM sunt confignata, nomine saltim indicabimus, vt eo certiores simus de primitiua eiusdem doctrine emendatione. Pertinent huc MICHAELIS CÆSENATIS

TIS

TIS, Itali D. Theol. *Tractatus III. de variis erroribus & hæ-  
resibus* Io. XXII. NIC. LYRANI *Tract. de Sacramento Altaris.*  
 GVL. OCCAM *Disputatio de potestate ecclesiastica & Secula-  
ri, quam sub forma Dialogi inter Clericum & Militem edidit,*  
*in qua Papam Cæsaribus utrobique subesse mordaciter & ri-  
gorose exposuit.* Eiusd. compendium errorum 10. XXII.  
 BRADWARDINI Lib. III. *de Causa Dei* iam supra citati. 10.  
 WICLEFI lib. IV. *Dialogorum & in iis præcipue tract. de  
Roman. Ecclesia & Anti-Christi regno.* Eiusd. *Aphorismi Wi-  
clesiani Argentorat. 1554.* Eiusd. *Tract. contra Clericos in  
MSCro.* PETRI DE ALLIACO *libellus de emendanda eccl-  
esi.* Eiusd. *de Ecclesia & Cardinalium autoritate.* 10. HVSSI  
*liber de peccato mortali, de pænitentia; de Sacramento Cor-  
poris & Sanguinis Christi; de Sufficientia legis Christi ad re-  
gendam ecclesiam.* Eiusd. *Quæstiones de fide & indulgentiis;*  
*Tractatus de Ecclesia; de Anti-Christo; de abolendis tradi-  
tionibus hominum; de reuelatione Christi & Anti-Christi;*  
*de adoratione & iconolatria &c.* NICOL. DE CLEMANGIIS  
*liber de corrupto Eccl. statu.* *Deploratio nefandissimi Schis-  
matis;* *De lapsu & reparacione iustitiae;* *De Concilio gene-  
rali;* *De Anti-Christo;* *De Studio Theologiae.* LAVRENTII  
 VALLÆ *liber de lib. arbitrio.* WESSELI GROENINGENSIS  
*lib. de prouidentia Dei;* *de caussis incarnationis;* *De Digni-  
tate ecclesiastica;* *De Pænitentia & Clauibus;* *de Purgatorio;*  
*tractatus contra Papam de Indulgentiis;* *De Iustificatione per  
Christum* liber adhuc ineditus, qui omnes libelli ab Indicibus  
 exploratoriis condemnati & omnibus interdicti sunt. HIE-  
 RON. SAVANAROLÆ *de fidei Christianæ veritate Lib. IV;*  
*Compendium Reuelationum;* *Recollectiorum rudimentorum  
Theologiae.* MARSILII FICINI *de Religione Christiana &*  
 fidei

fidei pietate ; *De immortalitate animarum.* GEORG. TRAPEZVNTIVS de processione S. Sp. IO. PICVS de regno Christi. Neque vero hoc loco omittenda, *Teutonica Theologia,* die Deutsche Theologie, quam paullo ante LVTHERV M Custos quidam Iohannitici Ordinis Francofurti ad Mcenum compo-  
fuisse videtur. LVTHERV & ARNDTIVS Par illud nobile nostratum Theologorum, quantum huic libro tamquam Compendio Theologiæ Dogmatico Pragmaticæ tribuerint, adparet ex præfatione vtriusque repetitis editionibus præmissa. LVTHERV præter Codicem S. & AVGVSTINVM ex lectione *Teutonica Theologia* in Theologia plurimum se profecisse fatetur. Vides itaque luculenter, B. L. quod o-  
mnia fere capita Theol. Dogmaticæ a testibus veritatis accu-  
ratius & serenius fuerint proposita. Sed difficile erat ex  
tanta errorum barbarie eluctari, & ad cognitionem veri &  
falsi in Pseudecclesia Pontificia transgredi.

§. II.

Tritum est & vulgare proverbiū : Ignoti nulla cu-  
pido, quod vbique & in quauis disciplina est verum. Quid itaque mirum est, S. Codice remoto, vt supra dixi, Scriptura-  
rum SS. nullam fuisse in orbe christiano cupidinem. Paullo  
vero ante LVTHERI tempora aliquot erant in bonis Theo-  
logis, qui S. Scripturæ legitimū statuere pretium nouerant,  
qui que in defendenda verbi diuini autoritate omnia subie-  
runt pericula. HVSSVS enim, cum verbum diuinum ac-  
curate meditaretur, itaque Papatus vires fortiter debilitaret,  
contigit, vt, cum verbo Dei & commentatore sua, quam de  
*Sufficientia verbi diuini* ad regendam ecclesiam composuerat,  
se in Conc. Constantiensi defensurus esset, pro verbo Dei mor-  
tem oppeteret, quod ipse cum iam in rogo concremandus  
esset,

publice in turba hominum professus est: *Non ob errores, inquiens, sed propter defensionem veritatis diuinæ comburor.* Inmo ad IESVM: *Bone IESV, ait, sponte mea pro sanctissimo tuo verbo ignominiose morior.* MARS.PATAVINVS in elegantissimo scripto *defensoris pacis* est confessus, in S. Scriptura sola summum esse disquirendarum veritatum & Christianæ Religionis principium. PANORMITANVS celebris Canonista vni homini fideli, qui niteretur autoritate S. Scripturæ plus fidei esse habendam, quam Papæ & Conciliis affirmauit, cui adstipulatur hac in causa GOCCHIVS, solum S. Scripturam esse iudicem omnium librorum, Paparum, & Conciliorum, adseuerans.

### §. III.

Pauci sunt eorum, qui Theologiae Moralis, a Scholasticiis Doctoribus penitus corruptæ, emendationem ante LUTHERVM in cura & studio habuerunt. Difficile enim erat, ea quæ ex Bibliis & Ethica ARISTOTELIS commixta erant, sedulo & rite separare; difficilius contra Scholasticorum & Paparum murmura insurgere. Cum enim doctrina Theologica de natura & gratia, de virtutibus & vitiis, de officiis, de prudentia Christiana ex sola S. Scriptura non Philosophematis Aristotelicis deducenda esset, nihil tamen minus fecerunt Scholastici, qui Aristotelis Philosophiam moralem secuti, externam tantum flagitabant pietatem, & quod necesse erat, Pelagianismum ubique stabiliebant. Præter Diff. 10. MICH. LANGII de Origine & Progressu Theologiae moralis systematicæ conferendus est. B. BUDDEV in Proleg. ad Inst. Theol. Moralis §. 21. *Non dogmaticam saltem, inquit, sed moralam etiam suis systematibus comple&tebantur Scholastici.* In qua quidem Aristotelica Philosophia legumque ecclesia-

clesiasticarum, ciuiliumque cum theologia ex sententiis Patrum hausta, mixtura admodum monstroſa, ſi quid vel maxima bonae frugis reperiatur, ad hanc, de qua loquimur, moralis theologiae partem parum facit. De officiis enim ſaltem actionibusque ad legem componendis, variisque hinc resultantiibus casibus, diſceptabant, de interiori animi cultura parum ſolliciti. Hoc etiam, obſeruandum, ſi quis candidiorum Theologorum medelam huic malo allaturus erat, incidiſſe eum fere ſemper in Charybdes Mystici & longe abſtruſi ſenſus, ita, vt vix capi & intelligi poſſint scripta, a quo cri- mine obſcuri sermonis fere nemo liberandus erit ante I.V.THERI tempora. Interim tamen eos breuiter enarrabimus, qui ad reformationem Theol. Moral. aliquid fecerunt. FRANC. PETRARCHAM, cuius ſupra mentionem fecerimus, multum emendaſſe Theologiam moralem, iudicat Cancellarius Academiae Parisiensis LVD. ELLIES DV PIN biblioth. nou. Script. eccl. T. XI. p. 77. Sed ſi libellos eius, qui huc facere videntur, rite conſideremus, nimirum *de vita ſolitaria*; *de remedii utriusque fortune*; *de contemptu mundi*; *de ignorantia ſui & aliorum*, magis ad Philosophiam, quam Theologiam eos pertinere cenſebimus. IO. TAVLERVS, Argentoratensium Theologus cordatissimns plura, quæ ad Theologiam Moralem pertinent, proponuit & ſcripſit, ubique tamen Aſceticam in ſcribendo Methodum obſeruans. Potiſſimum hic in censum venit lib., quem inscripſit *Medulla animæ*, in quo de indole virtutum Christianarum, earumque utili praxi ſolertiſſime docet. De vita & moribus TAVLERI Theologiæ Morali bene accommodatis vide HEVPELII memoriam TAVLERİ, & BARNOLDI *Leben der Alt-Däter.* Sequitur IO. WICLEFVS vita & moribus consummatiſſi-  
mus

mus Theologus, qui, quamdiu vixit, in reformatis ecclesiæ Pontificiæ moribus & reformanda doctrina morali laborauit, quod facilius ab eo fieri poterat, cum in studio Biblico esset indefessus, atque ex principio reuelationis diuinæ, quid bonum & malum, quid iustum & iniquum sit, optime posset explanare. Commemorandi sunt hoc loco eius libelli *de peccatis mortalibus & viribus spiritualibus*. Neque omittendus est a nobis GERH. ZVTHPHANIENSIS, Belgii Theologus, pietate & vita Christiana insignis, cuius duo opuscula, quæ saepe iuncta esse solent KEMPII Libris de *imitatione Christi*, multum illustrant Theologiam moralem. Sunt quidem Pragmatico-Ascetica, ita tamen, ut fundamenta operum ad Theologiam moralem spectent. Primum agit *de Reformatione interna sive virium animi*, vbi corruptelas mentis humanae & medelas non ex Natura sed Gratia sperandas lucide digerit. Secundum agit *de spiritualibus Ascensionibus, siue exercitiis mentis sanatae*, vbi saepius Mysticas voragine deprehendimus. Huic adnumerandus PETR. DE ALLIA CO, qui cum magnopere arderet studio Biblico, quod adparet ex eiusdem *Commendatione S. Scripturae*, rite potuit exercere & docere Theologiam Moralem. Referenda vero in hanc scriptorum seriem istius lib. *de IV gradibus scalæ spiritualis ex dictis B. Bernhardi.* 2. *Epitome quadruplicis exercitii spiritualis.* In castioribus Sæculi XV Theologiae Moralis Doctoribus occurrit primipilus & antesignanus I.O. HVSSVS, qui doctrinam moralem superstitionibus & erroribus Paparum corruptissimam summo cum zelo emendauit, scriptis & cpcionibus, ea, quæ in ordine Clerico, Politico, Oecumenico deprehendebantur, scelera acerrime ex S. Scriptura perstrigens. Huc pertinent Scripta eius moralia summo candore

K

con-

consignata: *De arguendo Clero; de quinque officiis Sacerdotis; de Anti-Christo; de abolendis traditionibus hominum; de Euangelica perfectione; de adoratione, &c.* Præcipue vero commendanda sunt opuscula, quæ Constantiæ martyrium perpeſſurus, in carcere conscripsit: *De peccato mortali; de dilectione Dei; de tribus hominum boſtibus.* Sequitur VINC. FERRERIVS, qui solidissimum lib. *de vita spirituali* confignauit, ac in eo Statum gratiæ, qua fruſtit mens humana, viuide depingit, licet hinc & illinc Mysticis nimium iuhæreat. NIC. CLEMANGIVS. PETRIDE ALLIACO auditor & discipulus optimum Meletema composuit *de fructu rerum aduersarum.* Partem Theologiæ Moralis, quæ tradit de officiis Christianorum, non parum illustravit opusculis duobus: *de nouis festiuitatibus non instituendis; de Praefulibus Simoniacis.* WESSELVS Groningenſis f. Gansfortius contra Icōnolatriam & Hagiolatriam ecclesiæ corruptæ edidit tract. moralem *de Oratione & modo orandi:* Notandi etiam sunt HIER. SAVANAROLAE libri *de humilitate; de amore Chriſti; Regulæ viuendi Christiane in ultimis vitæ diebus conscriptæ.* Huc etiam referas IO. PICI *Præcepta ad Christianæ vitæ institutionem.* Tantum de emendatione Theologiæ moralis. Cæteros, qui huc referendi sunt, Scriptores vide in TRITHEMII *Catal. Illuſtr. Virr.* IAC. QVETIF Scriptoribus ord. prædicatorum; DV PIN *Script. eccl. &c. &c.*

## §. IV.

Paucis nunc emendationem Theologiæ Exegeticæ meditabimur. Quam ad Sæc. XIV esse referendam, testatur Hist. Theol. Litteraria. Ita BVDDEVIS Ifag. Historico-Theol. p. 1645.b. *Licet post bonarum litterarum reſtitutionem & ecclesiæ emendationem felicitas hæc (melioris Theologiæ*

*Exe-*

Exegeticæ) orbi Christiano obtigerit: Sæculo tamen decimo quarto veluti signum ad bene sperandum sublatum est. NICOL. enim LYRANVS Normannus, reiecta methodo Scholasticorum Hermeneutica ad sensum litteralem primus S. Codicem reuocauit postillis suis perpetuis f. breuibus commentariis in tota biblia libris LXXXV comprehensis. Laudandus est hac de cauſa in sera tempora, cum facem in studio Exegetico nostris Maioribus prætulerit. Ipse LUTHERVS merita huius Interpretis digne suspicit. In Commentario ad Genesim: *Ego, inquit, Lyranum ideo amo, & inter optimos ponno, quod ubique diligenter retinet & persequitur historiam.* Item Tom. IIX Altenb. p. 305. vocat bonum Ebraïstam & fidem Christianum. Quamuis enim LYRA saepè præiudiciis Aristotelicæ Philosophia & Commentis Rabinicis, præcipue R. SALOMONIS IARCHI in quævis deuia correptus sit, nihilo tamen secius de eo vulgare illud rite potest adhiberi: *Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset.* Quod proverbum licet ita Pontificii proferant, tamquam omnia ex LYRA LUTHERVS sapuisset, dudum tamen a IO. FRID. MAYERO refutatum est in biblioth. bibl. Diff. IV. §. 5. p. 55. Opus hoc Lyrae Exegeticum prodidit 1660. Parisis in Bibliis maximis. Addi possunt Eiusd. Postillæ maiores in Epp. & Euangelia totius anni (vid. RICH. SIMON Hist. Crit. V. T. p. 414. REIMMANNI Hist. Germ. Litt. Tom. II. p. 213.) Coœvius LYRAE PETR. AVREOLVS, Theologus Parisiensis Academiæ etiam edidit, quod hoc facit, *Breuiarium Biblicum, seu epitomen vniuersæ Sac. Scripturæ iuxta litteralem sensum Paris. 1585.* (vid. HENR. WHARTON. in Append. Cœueana p. 16.) IO. WICLEFVS etiam inter meliores Exegetas est referendus, non tam, quod Biblia in Anglicanam

Metaphrasin redegerit; quod ad Philologiam S. supra retulimus, sed propter Commentarios Exegeticos, qui tamen plerique adhuc in MS to latent. Ille vero sunt: *Expositio in omnes epistolas Dominicales, Anglicula dialecto conscripta*; *Commentarius in Epp. & Euangelia totius anni*; *Commentarius in Psalmos*; *Commentarii in Selecta S. Scriptura loca*. Reprehendit hoc merito solet, quod WICLEFVS cæterum bonus Hermeneuta, nimis interdum philosophatus, neque aperte satis ubique locutus fuerit. Sed distingue, L.B. tempora nostra & Wiclefiana, & de Tanti Theologi laude non sane quidquam detrahens. Porro huc faciunt: PETRI d' AILLY f. ALLIACI *Meditationes Exegeticae in aliquot Psalmos*; *Expositio in Cant. Canitorum*, quæ suos tamen habet nœuos. IO. H VSSVS, licet perfectus & genuinus fuerit Theologus, tamen propter varias lites & exercitationes Polemicas cum papatu parum, quod ad Exegesin spectaret, reliquit. In præcipuis habenda est *Explicatio in VII priora Capita Ep. I ad Corinth.* Subiungendus est DIONYSIVS a RYCKEL Leodiensis S. Scripturæ studiofissimus (vid. ROEL im Leben Ryckels) qui reliquit Commentarios in Vniu. S. Scripturam. Non vacat, neque opus est cæteros adiungere, cum fecerit idem R. SIMON in Hist. Crit. Vet. & Nov. Testamenti. Tantum liquet ex supra dictis, studium exegeticum, aliqua ex parte emendatum non vero reformatum esse, quod Lutherò Lutherique coœvis tribuendum merito censemus.

### §. V.

Theologia Ascetica cum nihil aliud denotet, quam popularem Theologiae moralis & Dogmaticæ propositionem, quæ cum viuida adplicatione est coniuncta, videmus etiam ante LVTHERVM qualemcumque in ea contigisse mutationem

nem

8

nem. Omnes enim fere testes veritatis id egerunt, vt non solum Papatum debellarent, sed, quod primum erat, animos suorum corrigerent, &, qua ratione beatitas æterna procurari possit, docerent. Non hic prætereunda videtur TAVLERI piissima diligentia, qua ad emendandas aliorum mentes, & rectius informandos Monachos omne studium & indefessum labore contulit. Singulare illud fatum, quod huic viro quinquagenario contigit enarrant B. ARNOLDVS im Leben der Erz-Väter; & WEISMANNVS Hist. Eccl. Sec. XIV. pag. 946. sqq. Opera eius pleraque ad Theologiam Ascericam referenda sunt, & in iis potiora: Nachfolgung des armen Lebens Christi; Geistreiche Betrachtungen vom Leben und Leiden Christi; Helleuchtender Herzengen Spiegel, &c. De ipsis precibus, epistolis & colloquiis mysticis vide WHARTONVM in App. Cauei p. 34. Ad emendatores Studii Theologico-Ascerici referendus etiam erit IO. RVS BROCHIVS, Prior Canonicorum Regularium S. Augustini, qui, licet non magno eruditioinis adparatu fuerit instructus, nihilo secius propter viuidum & apertum scribendi genus a nobis memorandus est, vnde factum, vt eum alterum DIONYSIVM AREOPAGITAM nominauerint maiores nostri (vid. DIONYS. CARTHVSIAN. Tr. II. de donis Spir. S. art. 13.) Ipse WEISMANNVS in Historia sua Ecclesiastica huius Theologi meditationes asceticas propter pietatis affectum, vt par erat, extollit, licet Mysticam Theologiam præceptis Ascericis vbique commiscuerit, quod fere omnibus huius æui Theologis placebat, quodque in legendis eorum libris plurimam lecturis difficultatem mouebat, vt docte obseruare videtur D. IÆGERVS in examine Theologiae Mysticæ. Quam acriter vitia sui temporis & mores Theologorum atheologos

notauerit, præcipue cognoscere poterimus ex *Comment. in tabernac. Mōsis c. 71. I 17.* atque in vera contemplatione c. 56. sqq. En! Catalogum operum Asceticorum, quæ omnia autor Dialecto Germanica edidit, quæque s V R I V S in Lat. Linguam vertit. 1. Auslegung der Hütte Mōsis. 2. Spiegel der ewigen Seligkeit. 3. Die Summa des Chrsitlichen Lebens. 4. Von der geistlichen Hochzeit Bücher. 5. Das Reich derer, die Gott lieben. 6. Die wahre Betrachtung. 7. Von der Vollkommenheit der Kinder Gottes. De GERSONIS Cancellarii Parisiensis scriptis magis Mysticis quam Asceticis videatur GODOFR. ARNOLDVS in historia Theologia mystica pag. 316. Inter omnes Theologiae Asceticæ doctores agmen videtur ducere THOM. a KEMPIS, cognomine Hämmerlein Kempa oriundus in dicecisi Coloniensi, vir singulari pietate, & Christianis moribus instructissimus, quem si pluribus laudarim, aetum egisse videri possem, cum ipse iam per se laudabilis laudatus sit a TRITHEMIO, AVBERTO MIRKO, BELLARMINO, WEISMANNO, WHARTONO, BVDEO, præcipue vero ROSWEIDO in vindiciis Kempenibus. Præcipue ad Theologiae Asceticæ emendationem faciunt: *Meditationes XXXVI de Passione Domini*, &, qui emphasi sua & affectu sunt famigeratissimi, libri IV de imitatione Christi. Quam placuerint hæc scripta auidæ posteritati, docent crebriores Metaphrases in quascunque linguis Europæas immo Arabicam & Turcicam. De lite Critico-Historica, num hi libri KEMPISIO, GERSONI, an vero GERSONIO Vercellensi adscribendi sint non vterius hic exponam, cum eruditissime fecerit illud LVD. ELLIES du PIN in *Diff. de autore librorum de Imitatione Christi*. De cæteris Thomæ opusculis valde Asceticis potest consuli GABR.

NAV-

NAVDÆVS in Biblioth. *Ascertica antiquo-noua*, quam Clariſſimus PEZIVS nuper Ratisbonæ VI Tom. edidit.

§. VI.

Quod in Homiliis sacris ante LVTHERV M iam meliori modo aliquot Theologi cordatiiores versati sint, cognoscimus ex historia Christiana. Sæculis mediis, nascente & florente Theologia Scholastica, præter fabellas ridiculas & Aristotelis dogmata ethica nihil in ædibus sacris audiebatur, ut passim eruditæ exponit REIMMANNVS in Hist. Germ. Litteraria Tom. III & IV. Neque vero inepte comparauit huius peioris æui conciones NICOL. CLEMANGIVS, quem ſepe citauimus, pomis Sodomiticis, quæ specie extera ſe quidem commandant, nihil vero succi & vigoris continent. add. ALLIACVM de Reformatione Ecclesiæ; ERASMV M in suis ad Albertum Moguntinum litteris: *Perfitta, inquit, fronte iam cæperunt omisso Christo nihil prædicare nisi sua noua & subinde impudentiora dogmata cet.* Sed & hac in parte Sæc. XIV & XV aliquantis per sanata est Ecclesia, & remoto ex ſuggeſtu Aristotele, ea in publica concione proponebantur, quæ ex scriptura sacra optima morum & vitæ magistra hauriri poterant & debebant. Neque enim aliud quidquam fecerunt, WICLEFVS, HVS-SVS, TAVLERVS alii, quam vt viuidiori oratione & sermonibus sacris populum corrigerent, futuramque Salutem candide docerent. Scripta eorum Homiletica idem demonstrant, quæ nil nisi scripturas S. vrgent, præcipue vero magni aestimanda IO. TAVLERI *Postilla*, a LVTHE-R O toties commendata.

THESES V.

QUAMuis itaque, Benebole Lector, in quacunque non

non solum disciplina, sed præcipue etiam in Philologia S. firmo Studii Biblici adiumento & Theologia ipsa singularis ante Lutherum mutatio contigerit, neque adeo pauci fuerint, qui cum Salutis suæ & vitæ periculo autoritatem S. Codici conciliare, nugasque papales & Scholasticas subuertere studuere; nemo tamen ex iis omnibus E. L V T H E R O par est habendus, qui ex assidua S. Scripturæ lectione, & meditacione germanum, natuum & proprium eius intellec-tum per gratiam Dei singularem hausit. Sed hic p. dem figimus, cum, quod hic Megalander primus bono cum successu Biblicum Studium instaurauerit, idemque breui tempore per varias regiones sub auxilio Dei amplificauerit, Partibus Commentationis nostræ Historicæ II & III simus exposituri. Vale.


S. D. G.

## RESPONDENTI PRÆSES.

*N*on maioris in historia momenti est, praesentia facta posteritatu tradere, quam præteriorum fatorum memoriam ex documentis fide dignis repere; si hoc in primis acceperit, ut diuina prouidentia vestigia, qua non religione solum & reipublica, sed & singulorum hominum rebus priuatis prospicit, in apricum producantur. Ita maximo cum fructu licet confitit apertus diuina rimari & mirari. Egregium est specimen historicum, Optime IANI, quod commentatione TVA de Lutheri Biblici Studii Instauratore, mihi exhibuisti, & cuius dissertationem primam de Fatis Studii Biblici ante Lutherum, nunc luci exponis publicæ. Apparet hinc & doctrina haud vulgaris & amor verbi diuinis singularis. Perge ita & litterarum humanarum scientiam cum litterarum diuinorum amore coniungens uberrimam benedictionis diuinae messem expedita. Vale. Dabam in Regia Fridericana die XII Kal. Iulii clo. 15 cc xxx.

## Errata Typographica.


Legendum p. 14. l. 27. colloquium. p. 37. l. 1. & p. 40. l. 16. παλινγενετια. p. 48. l. 6. Bestiarion, p. 56. l. 1. herois. Cetera ipse, Candide Lector, corriges.





B.I.G.

Farbkarte #13



COMMENTATIO IN AVGVRALIS SAECVLARIS  
HISTORICA

DE  
**LVTHERO**  
**BIBLICI STVDII**  
**INSTAVRATORE,**

CVIUS  
DISSERTATIONEM PRIMAM

DE  
**FATIS STVDII BIBLICI**  
**ANTE LVTHERVM,**

ANNO SAECVLARI SECUNDО  
AVGVSTANAЕ CONFESSIOНIS,  
INDVLTV LAVDATISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE,

PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO, CELEBERRIMO  
**IOHANNE IOACHIMO LANGIO**  
PROFESSORE MATHEMATIVM PUBLICO ORDINARIO,  
COLLEGII PHILOSOPHICI H. T. DECANO,  
PATRONO ET PROMOTORE AEVV M SVSPICIENDO,  
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE ET SOLEMNITER IMPETRANDIS  
*hor. ppon. 3. d. 26 IVN. CIOCCXXX.*  
PLACIDO LECTORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR DEFENSVRVS  
**IOH. HERM. IANI,**  
FRISIVS, PAEDAGOGII REGII HALENSIS COLLEGA;

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.